

Universitätsbibliothek Paderborn

**Iacobi Brvckeri Regiae Scient. Societatis, Qvae Berolini
Floret, Membri Historia Critica Philosophiae**

A Tempore Resvscitarvm In Occidente Literarvm Ad Nostra Tempora

Brucker, Johann Jakob

Lipsiae, 1743

Liber Primvs. De Primis Conatibvs Restitvendae Philosophiae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29129



HISTORIAE
CRITICAE PHILOSOPHIAE
PERIODVS TERTIA,
A RESTAVRATIONE LITERARVM
AD NOSTRA TEMPORA.

P A R S P R I M A,
DE STUDIO PHILOSOPHIAE EMENDANDAE
SECTARIO.
LIBER PRIMVS.
DE PRIMIS CONATIBVS RESTITVENDAE
PHILOSOPHIAE.

C A P V T P R I M U M,
DE VIRIS DOCTIS, QVI DE EXTERNO PHILOSO-
PHIAE HABITV EMENDANDO RESTITVEN-
DOQVE SOLLICITI FVERVNT.

§. I.

A Ordo tractationis. tram tandem, quae ingenia philosophantia per omne fere aeulum medium presserat, noctem euasimus, superatisque non fine taedio et molestia dumetis labyrinthisque, quos philosophi scholastici struxerant, in patentiores tandem campos penetrauimus, iucundiorem iam porro philosophiae historiam enarraturi, et pulchriorem eius faciem nitoremque elegantiorem ostensuri. Nempe quamuis omnis fere orbis philosophicus squalore barbariei, quae ubique regna-

A 2

regnabat, iaceret obrutus, ita ut spes emergendi esset tantum non prorsus nulla; miserta tamen humani generis diuina prouidentia, de restituendo hoc, quod hominibus philosophia offert, beneficio maximo cogitare coepit, idque egit, ut pristinus honos resurgere, et lumen veritatis, quod tanta haec tenus caligo presserat, radios iterum suos spargere inciperet. Id quod tamen non simul vnoque emendationis actu factum est, sed, ut orientem solem praenuncia lucis aurora solet praecedere, ita pedetentim quoddam prius elegantiorum literarum exortum est diluculum, coeperuntque humaniores literae, deterso squalore pristinum nitorem resumere, sique viam parare, qua ad penitorem philosophiae cognitionem et referenda eius adyta, tot haec tenus barbarie spinetis obsita et oclusa aditus paratur, comerenturque ingenia atque excitarentur, ut contemto squalido philosophiae scholasticae habitu pulchrius philosophari auderent. Et exortus quidem seculo XIII nouus quidam in orbe philosophico heros est, fama illustri ad nostra usque tempora celebratus, qui prostratam philosophiam humo tollere, nouamque veritatis inueniendae artem inuenisse coelitus edocitus videri voluit; nempe Raymundus Lullius, noua arte sua diu celeberrimus. Verum multum eum mouendo parum promouisse, nihilque attulisse, quo philosophia adiuuari posset, in sequentibus ex instituto dicemus. Aliter itaque rem aggrediendam esse rati viri doctissimi, quos Lulliana barbaries non minus offenderat, quam scholastica, de purgando sermone, restituendaque humanitatis, Graecae imprimis Latinaeque linguae literatura solliciti esse coeperunt, sperantes fore, ut hoc pacto claves philosophantium manibus traderentur, quibus ornatori habitu magisque praeparato ingenio philosophiae veteris penetralia adire ipsosque Graecos veteranum Latinosque fontes consulere possent. Hos quidem philosophos fuisse, dici non potest, neque tamen in historia restauratae philosophiae omitti indicti possunt, quia sine eorum opera philosophia situ obducta et in squalore puluereque abiecta mansisset. Quamuis id viorum nunquam satis laudandorum consilium quoque fuerit, elegantiam literaturae Graecae Latinaeque ad philosophiam transferre, in quo tamen voluntate magis quam euentu felices fuisse praedicandi sunt.

*Summa con-
tuum sec. XIV
et XV, de re-
stituenda
philosophia.*

§. II. Faustum nacta res ea est auspicium seculo XIII, curam in eo ponentibus Dante Aligerio eiusque discipulo, Francisco Petrarcha, ut nugari orbis literatus atque despere desisteret, pristinumque literarum honorem, quae sitis veteris Graeciae et Latii decoribus resumeret, ita vero praeparata ad philosophiam ingenia felicius tantam rem aggredierentur. Quo in conatu alaci animo et iunctis eos passibus fecuti sunt innumeri viri eruditi, qui ex horum disciplina prodierunt. Quae tamen omnia, cum momentum in historia philosophiae reformatae nonnullum habeant, postea prolixius exponemus, postquam generalem prius philosophicae historiae, ad seculum XVI decurrentis enarrationem, dederimus, laboresque

que virorum praestantissimorum de reuocando hoc humani generis Palladio delineauerimus. Multum vero ad iuuanda haec doctorum virorum consilia attulit MANVELIS CHRYSOLORAE aduentus ex Graecia in Itiam, quem hoc loco eo minus negligere nobis licet, quo magis ei potissimum acceptum referendum est, quod Graecae linguae cognitio, quae hactenus tantum non omnis interciderat, resurrexerit, et eo docente iuuanteque ingenia optima didicerint cum Graecis philosophis loqui, eorumque scripta consulere. Is gente Romanus, patria Byzantinus¹, cum domi optimis artibus enutritus esset, premente Orientem Baizethi Turcarum imperatoris metu a Ioanne Palaeologo Andronici iunioris filio ad totius Europae principes Christianos anno clo CCCLXXXVII auxilii contra Turcas implorandi causa missus est. Graecia vero praesenti metu liberata, quod Baizethum viuum cepisset Tamerlanes Tartarorum imperator, in Italia pedem fixit, et Venetiis primum, mox Florentiae atque Romae, tandemque, parario Galeatio principe, Ticini Graecarum literarum studium², septingentis plusquam annis hactenus in Occidente neglectum felicissimo fidere suscitauit, discipulos nactus magni ingenii et insolitae postea doctrinae Franciscum Barberinum, Franciscum Philephum, Poggium Florentinum, Leonardum Aretinum, Strozzium Francisci, Guarinum Veronensem, Petrum Paulum Vergerium, Albertum Rubeum, Philippum Vgolinum, Leonardum Iustinianum, Andream Dominicum Florentinum, Ambrosium Camaldensem, Antonium Corbinellum, Iannotium Mannetum aliasque. A quo ingeniorum optimorum agmine, per Italiam Graeca literatura refuscitata est libri Graecorum philosophorum ex puluere iterum protracti lectique sunt. Tandem anno clo CCCCXIV Constantiam visendi concilii caufsa aduolans³ sequente anno viuis ibi eruptus est, vbi quoque eius epitaphium legitur⁴. Hic quamvis philosophum egisse non legatur, minime tamen dubitandum est, quin more gentis suae, apud quam usque ad captam Constantinopolin philosophiam regnauisse suo loco *Tomo superiore*, probauimus, Graecanicae philosophiae quoque praecpta discipulis tradiderit, Italisque, eius ductu Graecam literaturam nosse cupientibus Graecos quoque philosophos, maxime Platonem et Aristotelem, quorum summa inter Graecos tum erat

A 3

existi-

a) Plura de Manuele Chrysolora dabunt
PAVL. IOVIVS Elog. c. 23. BVLLAR. T.
Acad. Scient. T. I. p. 265. LAMBECIUS Bibl.
Vindob. L. VI. p. 276. et qui scripta eius enarrarunt WHARTON ad Caue p. 53. OVDIN. de
S.E. T. III. p. 1252 sq.

b) Ideo memoriam Chrysolorae, quod a. 1390.
Graeca studia in Occidente suscitauisset primus
Helmst. 1718. 8. recoluit CL. HERMANN. VON
DER HARDT.

c) Conf. IDEM Proleg. ad concil. Constant.
p. 10. LENFANT Hist. Concil. Constant. L. II.
p. 125.

d) Citati, FABRICIVS Bibl. Graec. Vol. X.

p. 392. Cum Ioanne et Demetrio Chrysoloris confundendus non est, quod accidit IAC. PONTANO not. ad Phranzam p. 242, qui obseruat quoque, fusse Manuelem sacerdotum Francisci Philippi. Sed nec Ioannes Palaeologus Manuels filius, qui ab anno 1419. ad 1445. imperium obtinuit, cum seniore Ioanne Palaeologo, qui anno 1357. solium occupauit, defunctus anno 1384. menseendas est. Non enim ille, sed hic nostrum in Occidentem allegavit. conf. PETAV. Rationar. temp. L. IX. c. 7. p. 632. Offendit ad hunc lapidem Vossius de Hist. Graec. L. IV. c. 19. p. 492. qui Chrysoloram anno 1440. vixisse perperam tradit.

existimatio commendauerit. Certe discipulos eius non hos modo Graecos philosophos, sed omnem quoque philosophiam Graecanicam consuuisse, vel vnius Ambrosii Camalduenis ^{e)} exemplo discimus, qui Diogenes Laertii librum *de vitis philosophorum* hactenus plerisque ignotum Latinum fecit ^{f)}, sive Graecicae philosophiae historiam Occidentis eruditis aperuit, meliorem quoque philosophandi viam, apertis philosophicae historiae fontibus, monstrauit. Chrysolorae vestigia preffuerunt Graeci alii, quos Constantinopoli a Turcis anno clo CCCC LIII capta furor hostis patria ciecerat et in Italiam disiecerat. Ita enim dum cum Musis suis sedes alio sub sole calentes quaerebant in Occidentis regionibus, praecipue vero in Italia locum exilii tutum inuenerunt; cumque honos iam tum elegantioribus literis haberi coepisset, in academiis confederunt, et cum reliqua literatura philosophiam quoque, domi cultam docuerunt. In quibus recipiendis parandoque meliori literaturae ipsique philosophiae paulo laetiori vultu emergenti asylo diligentem atque valde laudabilem operam posuerunt principes Italiae, de promouenda eruditione inter se honestissima aemulatione contendentes. Inter quos tamen nulla gens laudem consecuta est maiorem, et de philosophiae incrementis augendis illustrius meruit, quam Mediceorum familia, et Nicolaus V. P. M. Et utriusque quidem historiam ex instituto tradere ab hoc loco alienum est, videndique, qui Florentinam historiam enarrauerunt, MACHIAVELLVS, VARCHIVS SEGNIVS compluresque alii, itemque historiae pontificiae scriptores, qui Nicolai V. et Leonis X. ex Mediceorum gente res exposuerunt, ut historiae literariae inter Italos scriptores taceamus. Non tamen silentio praeterire institutum nostrum permittit, qua ratione et illustrissima illa domus, et Nicolaus V. philosophiae culturam elegantiori studio suffultam promouerint. Laurentius Medices enim adeo eruditio-
nis omnis, et cuiuscunque generis literarum patronus esse, maximis, quibus valebat, opibus conniuis est, ut communi doctorum suffragio eruditio-
nis pater dici meruerit ^{g)}. Graecos enim patria extores, et non nisi ingenii opes secum afferentes beneuole excepti, fortunarum sedes iis comparauit, re et consilio eos adiuuit, reliquisque Italiae principibus commendauit, huncque optimarum literarum amorem ad filios et nepotes propagauit. Qui ut, quantum posset, renascentibus literis et imprimis refurgenti philosophiae manus opitulatrices porrigeret, Ioannem Lascarin in Graeciam misit, ut optimos vetustissimosque scriptores Graecos magno aere redimeret: qui egregiam quoque huius generis supellecti-
lem in Italiam adportauit, hodie quoque summo ornamento Florentiae superbientem. His subsidiis paratis excitauit magnus literarum stator
viros

e) Videndum de eo FABRICIVS Bibl. Lat.
med. T. I. p. 218. et quos laudat.

f) Videndum de huius versionis historia FA-
BRICIVS Bibl. Graec. Vol. III. p. 603 sqq.

g) Hos non melius nosse dabitur Lectori,

quam ex virorum doctorum illius aetatis episto-
lis, paftim editis, quae laudabilis consilio iam
iunctum in Italia eduntur.

h) Conf. NIC. REYSNERVS in iconibus li-
teris clator. viror. F. 6.

*Graeci ex O-
riente in Ita-
liam capta CP.
profugi.*

*Medicea fa-
milia philo-
sophiam et lite-
ras promouet.*

viros doctissimos, ut manus emendandis scientiis admouerent, et non gratia tantum et commendatione, sed muneribus quoque et aere illis animum addidit. Inter quos Marsilius Ficinus, Angelus Politianus, Demetrius Chalcondylas, Ioannes Picus aliique, quorum in sequentibus fiet mentio, eius benevolentiam prorsus insignem experti sunt, eamque in dedicationibus librorum suorum ad Maecenatem suum dignis extulerunt praeconiis. Tanti vero Musagetae, maximique, qui nonneminiⁱ audit, ingeniorum liberalium educatoris studium atque benevolentiam non solas humanitatis literas, sed ipsam quoque philosophiam complexam fuisse, nemo certior testis est, quam Marsilius Ficinus, qui cum Platonicam philosophiam magna diligentia exornasset, non modo summis a Laurentio beneficiis affectus est, sed tantum quoque in eo philosophiae ardorem accedit, ut teste ANG. POLITIANO^k duobus circiter ante obitum suum mensibus destinauerit, reliquam aetatem in philosophiae et literarum studiis cum Politiano, Ficino et Mirandulano procul ab urbe et strepitu consumere. Quem philosophiae, maxime Platonicae, amorem, tota ferme gens Medicea nutriuit, magnoque eius emolumento atque incremento demonstrauit. Id quod magnifica oratione prosequitur dignisque extollit laudibus MARSILIVS FICINV^ls, testatus, *Cosmum*, *Laurentii auum*, *Platonicam lucem religioni valde salutarem a Graecis ad Latinos propagare contendentem*, ipsum intra suos lares educatum huic operi destinauisse: Petrum autem eius filium conatum probauisse, et post eius mortem Laurentium et religionis cultorem, et philosophiae patronum ipsum ad inceptum omni auxilio et fauore reuocauisse. Quae in sequentibus quoque explicat, et Laurentium Platonice tum discendi, tum bene viuendi cupidum, mirumque in modum ad haec omnia voluntate propensum, ingenio promptum, studio eruditum extollit. Alia ex viro- rum doctorum illa aetate patrocinio Mediceae familiae gaudentium scriptis facile colligenda praeterimus, cum haec sufficiant ad intelligentum, illustrissimam gentem ad philosophiae resfrescentis incrementa plurimum contulisse. Idem de Nicolao V. P. M. qui Romanae sedi ab anno elo CCCCXLVII praefuit, dicendum. Is enim cum et ipse Graece doctus esset, et Graecam literaturam impense amaret, magno autem fauore Aristotelem prosequeretur, cum ipsam Aristotelis lectionem probauit, tum de noua versione, meliori illa, quae Aquinatis cura confecta erat, sollicitus fuit. Rem ita enarrat BESSARIO Cardinalis^m: *Ira in Latinum verterunt veteres Aristotelem, ut opus fuerit, sanctissimum ac clementissimum dominum Nicolaum V, pontificem maximum, qui omnis scientiae, omnis diuinae humanaeque sapientiae doctissimus in apostolicam sedem concendit, qui que ut loco et dignitate, ita philosophia, theologia, et omni optimarum scientiarum genere principatum obtinet, viros eligere utriusque linguae peritos, qui omnes fere Aristotelis libros in latinam verterent oratio-*

Nicolaus V.
P. M. Aristote-
teliae philo-
sophiae pa-
tronus.

ⁱ⁾ IDEM loc. cit. ^{k)} Epist. L. IV. p. 153. ^{m)} Dedic. versionis Metaphysicorum Aristote-
^{l)} Dedic. versionis Platonis.

nem.¹⁰ Quod dum laudat in summo pontifice Bessario, perperam ille institutis decretisque Gregorii P. M. qui corrigendos et emendandos esse Aristotelis libros praeceperat, opponitur a Io. LAVNOIO¹¹, Gregorius enim ad solam Parisiensem scholam respexit, et in ipsa Italia iam ante ista tempora maxima fuit Aristotelis auctoritas, ut suo loco probatum. Hoc itaque patrono iubente fauenteque Georgius Trapezuntius, Theodorus Gaza, Ioannes Argyropulus, Bessario, Laurentius Valla aliique in restituendo vertendoque Aristotele fuere diligentissimi¹². Quod exemplum imitati principes alii, eadem in rem symbolam contulerunt suam. Sane de Alfonso Aragoniae rege idem praedicat BESSARIO¹³: *Eum non armis solum, et tot tantisque victoriis, quibus immortalem sibi gloriam comparauerit, contentum; litteris quoque modo diuinis, modo gentilibus, et his cum ad sapientiam, tum ad eloquentiam conducedentibus, non in pace solum, verum etiam in medio bellorum feroire incumbere; et ita incumbere, ut cum summus sit in armis, summumque in re militari locum teneat, dubium sit huiusmodi rebus studentibus, quoniam magis excellat, armisne, scientia, potentia, an sapientia. Eiusque rei argumentum esse, quod ipsum, ut librum metaphysicorum Aristotelis sibi Latinum faceret, efflagitauerit.* Ita vero factum, ut inter barbaros Scholastico-rum strepitus canora tandem philosophiae vox audiri inciperet, et castius philosophari elegantiora auderent ingenia. Quae cum ab antiquissimo tempore non aliam, praeterquam sectariam, cognouissent philosophiam, ad restituendam nitori suo Platonicam et Aristotelicam philosophiam magna contentione se accinxerunt. Qua in re plurimum Graecorum exulum valuit opera. Hi enim cum domi partim Platonicam, vel Alexandrinam potius philosophiam, partim Aristotelis sapientiam didicissent, suo exemplo atque institutione Latinis auctores fuerunt hanc philosophand rationem imitandi. Platonicam enim philosophiam, qualis ex Ammonii Plotinique schola ad Christianos dimanauit, pauci antea inter Latinos, vt si suo loco dictum, nouerant, quique eam intelligebant, ad quandam melioris et cordatioris theologiae faciem effingendam reuocauerant. Graeci autem, cum in aula regnaret Aristoteles, cui et praefectus philosophis, et reliqua philosophantium turba seruiebat, ut in superiori Tomo demonstratum, Platonem reformatum intra monasteriorum claustra receperunt, in quibus hoc duce altius et succulentius de diuinis philosophari monachos posse, sibi persuadebant. Qui theologiae, quam vocant mysticae, vel rectius Platonicae, amor, seculo XIII et XIV multos inter Graecos produxit, hac ratione de diuinis praecipientes, et Platone, vel potius Pseudo-Dionysio duce ex Ammonii schola theologiam et philosophiam suam incrustantes, cuius rei specimen esse possunt Georgii Cyprii et Georgii Pachymeris commentationes in Dionysium. Id quod nemo mirabitur, qui Graecorum ingenium nouit, va-

num

¹⁰) De fortuna Aristotelis in academia Parisiensi c. X. p. 224 seqq.

¹¹) Conf. FABRIC. Bibl. Graec. Vol. II. p. 172. ¹²) loc. cit.

num et enthusiasmo aptum, maxime vero otium illud reputat, quo in monasteriis fruentes inanes homines ad eiusmodi nugas abutebantur. His itaque philosophandi laboribus districtos occupauit armorum Turcicorum strepitus, et furor barbarae gentis literisque honorem pretiumque nullum statuentis, sedibus suis eiecit, et per Occidentem dissipauit. In Italiam itaque profugi philosophi Graeci, pars Aristotelem, quem ipsum hactenus praceptoribus vni Peripateticis iunioribus legerat, attulit, et Latinis ingenii falsam quandam philosophiam Aristotelicam hactenus professis commendauit, effecitque, ut haec quoque suis vti oculis, ipsumque Aristotelem legere, quam a Scholasticis et Arabibus nasci duci malent. Pars vero Platonem, religionis obtenuit et diuini cultus, quem mirifice promouere Platonicam philosophiam iactabant, colore vehementer extollebat, et haud paucos, quos regnantis Auerroismi impietas offenderat, in partes pertrahebat suas. Et ita quidem euenit, ut praeter Scholasticorum gregem, qui strepere more suo, pulchreque ineptire pergebat, duo, in Italia philosophantium agmina, prodirent, quorum alterum Aristotelem γνῶσιον excolebat, alterum adhaerebat Platoni reformato. Id quod more quidem scholae Alexandrinae quae inter vtrumque philosophum pacem et amicitiam nexuerat, animorum et opinionum concordiam gignere debuerat, sed aliter res cecidit; sedentes enim in inimica castra, bellum grauissimum excitarunt sibique inuicem tela incruenta intentarunt Aristotelici et Platonici. Quos cum luctari cum umbra nonnulli cernerent, pristinum syncretismum reuocauerunt, tentaturi, vtrum ita pax orbi philosophico restitui posset. Et haec quidem generalis philosophiae a seculo XIV. emendari in Italia coepit facies est, vsque ad seculum XVI, quo cum doctrinae repurgatae puritate clarius quoque ubique locorum lux philosophiae affulxit. Ordo iam postulat, ut enucleatius ea tradamus, sine quorum notitia manca est seculi XIV et XV historia philosophica.

§. III. Primum, qui nouum quid in philosophia molitus fuerit, RAYMVNDVM LVLLIVM fuisse, supra diximus. Magna fuit, ut ipsius de se hominis opinio, ita et multorum de arte philosophica rationaliue, quam inuenit, existimatio; totaque eius vita, quam praeter alios⁹⁾, qui eius res commemorarunt, CAROLVS BOVILLVS scripsit, par-

*Primus philo-
sophiae refor-
mator Raym.
Lullius.*

9) Plerisque, qui Lullii literariam historiam tetigerunt, nominauimus in Germanico Hist. phil. opere T. V. p. 1346 seqq. quos non repetimus. Additamen possunt, quos adduxit celeberrimorum virorum NIC. HIER. GUNDLINGII Histor. erud. T. II. p. 1775. et IO. ALB. FABRICI Bibl. Lat. med. T. IV. p. 864. diligenter, et inter eos imprimis videndi LVC. WADINGVS Annal. Ord. Minor. T. III. ad an. 1275. 1287. 1290. 1293. 1295. 1315. I. BAFT. SOLERIVS Act. SS. T. V. Jun. 30. p. 633. seqq. vbi vita eius a coaevo scripta exhibetur.

Hist. philos. Tom. IV.

r) Inter eius opuscula Parisis apud Badium Ascensium 1514. 4. edita legitur quoque vita Raemundi Lullii eremita. Non negligendus, ut hoc obiter moneamus, Carolus Bouillus in Historia renascentis philosophiae est, eo quod a tria via discedere inter primos auctus sit. Fuit is Gallus ex Samarobriva Veromanduorum metropoli, vixique exspirante seculo XV, et deinceps, atque philosophiae et matheseos peritia clarissimum nomen consecutus est. Prodit ex schola Iacobi Fabri, cuius tamen, Aristotelem potissimum sequentis vestigia deseruit, ingenium

nactus

B

radoxae, et in philosophiae historia consideratione non indigna. Quam tamen fabulis commaculatam fuisse, vt nempe τὸ θαυματόν more aei medii eius historia referret, non inepte iudicavit Cl. D V P I N I V S. Nam et ipsa ingenii Lulliani phantasia exorbitante animati indoles vere phantastica fuit et ad paradoxa sibi imaginatione fortiori commota concipienda prona: et temporum eorum ars atque consuetudo fuit, incredibiles excoxitare rerum circumstantias, et inepta miracula de iis praecipue fingere, quos inter coelites referri cleri intererat. Vnde natio opus est in examinanda Lullii historia, nec fides facile danda, nisi vbi aperta rerum loquuntur testimonia. Narrabimus tamen, quae de paradoxo hoc philosopho tradi solent, vt hac quoque ratione mediæ aei genius a cauto Lectore dignosci queat.

Lullii vita.

§. IV. Natus est RAYMVNDVS LVLLVS, siue LVLLIVS ex Raemondo Lullo, patre clarissimi sanguinis Barcinonensis viro, comite regis Iacobi in occupanda Maiorca; matreque nobilissimæ domus comitum Herilium, editus in lucem in Insula Maiorica apud Baleares in vico S. Michaëlis, anno clo CCXXXIV. Ita quidem plerique tradunt, et inter eos, qui IOANNIS DANETI *Historiam Balearem* continuauit. Maioricamque historiam idiomate Hispanico enarravit VINCENTIVS MVTVS^t. Alii tamen obscuris parentibus ortum fuisse contendunt, quos non audiendos esse, facile concedi potest. Iuuenem spe quaestus mercaturam coluisse nonnulli perhibent, meliori fide alii in aula Maioricae regis militasse dicunt, ibique seneschallum quem vocant, regis Iacobi factum afferunt: id quod originibus eius satis apte respondet. Quod vbi verisimile esse, supponimus, recte inde concludimus, ad honestarum artium studia, sine quibus in aulis haud facile licet emergere, iuuenem animum applicare fuisse iussum. Sed cum inclinationem temperamenti ad voluptates proclius sequeretur, posthabitis exercitationibus, quibus animus formari solet, ad corporis curam et armorum exercitium conuersus, totusque impuris amoribus occupatus est, inque meditandis in Eleonoram amicam, quam vehementer deperibat, veribus tempus omne consumpsit. A qua tamen insania casu quodam inopinato sanatus est, ipsa quae vulnera illi fixerat, muliere, medicinam vesano irueni suppeditante. Cum enim amicam ad templum euntem presso pede fecutus in eius obtutus

nactus vere paradoxum et interdum ecstaticum. Cui multa singularia et insolita placuisse obdictas equidem causas mirandum haud est. Ea in scriptis philosophicis apud Henr. Stephanum aum^m Par. 1510 editis passim dispersit. Ad peculiares eius hypotheses pertinet, quod diu ante Leibnitium intellectum non hominis tantum, sed et angelorum, specularem naturam habere peculiariter auctoriter; statueritque, orbem folis verum esse mundi medium, et terram ac firmamentum in extremis versari: mundum esse animal, cuius sensus in sole et planetis, imaginatio in stellis consistat: animam esse substantiam vnitrinam,

tribus circumuallatam orbibus, proprio intelle^{ctuali}, corporeo, et mundano: materiam totam simul esse creatam et elementatam etc. Multa a Pythagoreis et Platonis transsumptis. De scripsi eius vid. FABRICIVS Bibl. Lat. med. T. I. p. 923. seqq.

s) Nouv. Bibliothèque des auteurs eccles. T. XI. p. 59 seq.

t) Hist. Balear. s. Regum Maioricae Hispanica lingua edita, ex qua compendium virae Lullianae exhibet OL. BORRICHIVS de Orig. et progressu Chemiae p. 129. seq.

bus altius oculos fixisset, totusque in ea contemplanda haesisset, inuitatus ab Eleonora in conclavi comparuit, spe laetus fore, vt libidinem affatim restinguaret. At illa cum delicias factura putaretur, recincto pectore mammas furenti iuueni ostendit cadaverosas et maligno vlcere putridas, subiectumque pectus horrendo carcinomate obsefsum. Quo conspectu, quasi inferni imagine, attonitus obstupuit, mentique quasi fulmine tactus non nisi in tenebris solatum inuenit. Mutandas itaque vitae rationes emendandumque animum esse ratus, in eremum secessit, relicisque aulae illecebribus sibi viuere, lachrimisque pristinam eluere stultitiam constituit. Cum autem altius voluptatum vanitatisque aulicae imago inhaereret animo, miraculo ad meliorem frugem et victoram reportandamque ductum fuisse perhibent, qui humana maiorem nobis eius vitae scenam instruunt. Narrant enim comparuisse Raymundo imaginem Salvatoris cruci affixi, eumque suauiter compellatum ad sui imitationem fuisse exhortata, ea efficacia, vt iam vltro vanas voluptates contemneret, et incitamenta malorum ex animo omnia sponte reiiceret, facultates pauperibus distribueret, totusque precibus pro emendanda conuertendaque ad veram sapientiam mente se traderet. "Quod qua fide tradatur, lectoris esto iudicium, nobis monere sufficit, eiusmodi apparitiones Crucifixi aevo medio haud raro fuisse conflictas, cum vix aliud quicquam auctoritatem et opinionem sanctitatis maiorem conciliaret, cuius rei testem esse volumus Thomae Aquinatis et Bonaventurae historiam. Mendicantes enim ordines, cum inuidia nouitatis apud reliquos premerentur, his potissimum commentis in seculo valde credulo et ad recipiendam miraculorum fidem maxime prono sibi existimationem comparauisse, certissimus testis est historia ecclesiastica. Ut vero, quem pro Dei gloria conceperat, feruorem animi sequeretur, doctrinae Christianae inter infideles, praecipue Muhammedanos, propagandae ardore flagrare coepit, eumque in finem, quae hactenus neglexerat, studia recolens, quamuis tringita, vel, quod alii volunt, quadraginta annos natus, grammaticam didicit, coemtoque, qui Arabicam linguam tenebat, feruulo, eo magistro illam haurire coepit. Mala tamen fide a feruo punitur tantum non imperfectum fuisse Parisiis, sunt, qui referunt. Tum capto confilio inumeros libros lingua Hispanica, Latina et Arabica euulgandi, iterum in desertum anno clocc LXXV abiit, totusque precibus, ieuniis, lachrimis aliisque poenitentiae exercitationibus per septem menses vacavit. Et tum iterata, aiunt, vice illi Dominum specie ardentis Seraphini comparuisse, iussisseque, vt artem communem sive vniuersalem omnium scientiarum conscriberet, ipsi quoque tantae molis opus dictauisse. Alii tamen quibus non tam facilis ad credendas ineptias animus est, in hac solitudine hominem fanaticum artem istam vel proprio marte meditatum esse, vel surreptam, quod nonnulli volunt, Arabi cuidam excoluisse,

B 2

et

^{u)} C. BOVILLVS I. c.
^{x)} Nomen eius Abenezron. NAVDAEVVS Apolog. magiae accusat. c. 14. p. m. 265. qui prono-

cat ad PETR. MONTVVM de vnius legis veritate L. V. c. 53. fidem eius desiderante MORPHIO Polyhist. lit. T. I. c. 5. p. 352.

et ut sibi fidem atque nouo inuento venerationem atque auctoritatem conciliaret, eiusmodi apparitiones pia fraude commentum fuisse contendunt. Id quod a moribus quidem impostorum non abhorret, qui plerumque diuinias reuelationes iactare solent; fieri tamen quoque potuit, vt non ipse quidem Raymundus, sed sequentium temporum homines, ciues potissimum Maioricae, quorum intererat, vt ex sanctis viris Lullus fuisse crederetur, eiusmodi fabulas excuderint. Certe inter nugas otiosas has narratiunculas referendas esse, nemo temere negauerit, qui norit, quid distent aera lupinis. Ita vero infuso diuino lumine ditatus Aragoniae regi Iacobo persuasit, vt luculentum in Maiorica insula monasterium erigeret, redditibusque lautis instructum tredecim fratribus Ordinis Minorum, cui Lullus fauebat, traderet, ea lege, vt Arabicum ibi sermonem edoceti ad conuertendos Muhammedanos se praepararent. Mox Romam ad Honorium IV. P. M. circa annum clo CCL XXXVII profectus idem institutum papae commendauit, vt eiusmodi Orientalium linguarum scholae vbiuis eum in finem in coenobiis excitarentur. Vbi cum contemneretur, Parisios, Montem Pefulanum, Genuam petiit, et tum linguarum Orientalium studium vrgere, tum nouam artem publico paeconio vendere coepit. Eius vero cum publice paelegendae veniam Romae frustra expetiuisset, itineri ad infideles fuscipiendo se accinxit, et Afiae atque Africae loca celebriora peruagatus, Tuneti disputatione cum Saracenis inita periculum mortis subiit, fidelis cuiusdam Arabici precibus aegre liberatus, ea tamen conditione, ne sub mortis poena in Africam vnuquam reuerteretur. Neapolin itaque ex Africa soluens, artem ibi suam docuit, vsque ad annum clo CC XC, quo Romam, indeque Genuam profectus, ibique exaratis libris quam plurimis aliquandiu commoratus est. Quod si Mvto credendum, eius diligentia studioque laudabili inuitata nobilitas Genuensis pecunias ipsi obtulit ad iter in terram sanctam fuscipendum necessarias, de quo tamen vehementer dubitamus. Non enim in Palaestinam, sed Maioricam ad regem, et dehinc Parisios abiit artem suam iterum paelecturus. Vbi tamen paucos eum discipulos reperisse oportet, nam mature in patriam rediit, ibique cum Iudeis et Saracenis disputauit; in Cypro Insula Nestorianos et Iacobitas oppugnauit, venenumque ab iis propinatum aegre euasit. Artem itaque nouam cum inuidia vbique contemtuque premi cerneret, cupidus iterum animum incessit apud Saracenos in Africa fidem Christianam propagandi. Ibi Bungi lapidibus a Saracenis impetus vix se eripuit, et in carcerem coniectus squalidum, non nisi Genuensium mercatorum precibus liberatus est. Redux itaque in Europam, amissa in naufragio supellestile libraria, ad expeditiones sacras occupandamque terram sanctam populum cohortatus est, et a matronis quidem Italiae eum in finem magnum numinorum aceruum corrafit, a Clemente V, P. M. autem, quem Auenione adierat, rogaueratque, vt bellum sacram ediceret, contentus est: nec meliorem

y) Hist. Balear. I.c. BORRICHIVS loc. cit. suc-

successum in concilio Viennensi res ista habuit, cum et linguarum Orientalium seminaria exstruenda commendasset, et bellum contra infideles suasisset, et ut damnarentur libri Auerrois, qui audeo tempore legebantur, rogauisset. A concilio itaque ad reges Europae eandem ob caussam conuersus, aulas regum Hispaniae, Galliae, et Britanniae peruagatus est. Et in aula quidem Angliae regis Eduardi artem chemicam praeceptum ingentem vim auri ope artis istius regi ad sacram expeditionem suscipiendam obtulisse, nonnulli referunt^z, contenduntque, ex hoc auro chemicō certum nummorum aureorum genus, quod rosati nobilis nomen gerit, cūsum fuisse, pilasque huius opera aeneas in aurum conuersas in atrio regis Britanniae fuisse asseruatas. ^a Valde pro huius narrationis veritate pugnat O L A V S B O R R I C H I V S, ^b vehementer in Mutum insurgens, quod istam artem chemicam Lullum exercuisse, rationibus usus plurimis negauisset; qui etiam fidem traditioni habet quae Lullum in fine vitae ab Arnoldo Villanouano eam transmutandorum metallorum scientiam didicisse perhibet. Valde tamen veremur, ut causis Lectoribus eius rationes faciant satis, cum et testamentum Lullii, in quo id artis miraculum perpetratum asseritur, fidei sublestae valde suspectum sit, et Lullii tempora totumque iter Anglicanum cum rationibus chronologicis non cohaerent, quod fuse demonstrauit L U C A S W A D D I N G V S; ^c aurea vero moneta illa, quae rosatus nobilis vocari solet, et ex hoc auro obryzo cusa dicitur, post Lullii demum tempora edi coepérit: reliquae vero rationes Borrichii solum eorum rumusculum supponant, quorum interest, haec vera esse. Vnde non inuiti eorum subscribimus sententiae, qui totam narratiunculam explodunt, et inter fabulas mediæ aëui referunt, ipsam quoque eius peritiam artis chemicæ negantes, inter quos Waddingus, ut famae Lullii consulat, contendit, totam illam librorum chemicorum farraginem, quae Raymundo Lullio tribui solet, Raymundo Neophyto deperi, Lulliumque adeo istis nugis non despiciisse, ut in scriptis potius genuinis false Alchemistarum stultitiam derideat. Quae omnia operose excutere, nostri instituti non est, et ad specialem historiam artis chemicæ qualē hactenus desideramus, pertinet, infra tamen adhuc quaedam de ea re dicemus. Tandem relicta anno clo CCCXIV vxore, tertium Franciscorum ordinem suscepit, vehementique martyrii desiderio aestuans in Africam denuo traiecit, Saracenos ad fidem Christianam perducturus. Quae res pessime illi cecidit: Tuneti enim, vel quod alii volunt, Bugiae carceri mancipatus et exquisitissimis cruciatibus affectus est. Semianimis manibus tortorum a Genuesibus mercatoribus erexit et in nauem delatus in conspectu patriæ spiritum reddidit, anno clo CCCXV. Tum cadauer exanime Maioricam delatum magnoque propter martyrium cultu hono-

B 3

ratum,

^z) IMPERIALIS in Museo Hist. p. 13. ROB. CONSTANTIN. Nomenclat. Med. BORRICHIVS l. c. et quos laudat.

^a) WHARTON loc. cit. qui tamen fidem ref. denegat.
^b) loc. cit.
^c) loc. cit.

ratum est, sancteque habita eius memoria a Maioricensibus: quemadmodum etiam eruditionis opinio Academiae Lulliana originem dedit, magnis ornatae priuilegiis regum Hispaniae, Alphonsi primi, Ferdinandi catholici, Caroli V. Philippi II. Philippi III. et Caroli II. Inexpugnabilem hominis diligentiam pectusque inexhaustum laboribus produnt tum plurima, quae vagabundus suscepit itinera, tum magna librorum multitudo, quos ex parte, non tamen omnes recensent HENR. WHARTONVS^a NICOLAVS ANTONIVS^c, LVCAS WADDINGVS^f, et qui chemici argumenti ei tribuuntur ABR. MERCKLINVS^e. Quidam CCCC. numero fuisse perhibent^b, alii ad quatuor millia extendunt. Non tacendum tamen suspicari nonnullosⁱ, pleraque scripta, quae eius nomen prae se ferunt, ob viri celeberrimi famam a Carolo Bouillo, Iacobo Fabro et Henrico Cornelio Agrippa illi fuisse supposita, certe multa alium parentem agnosceré, vix negari posse videtur. Facile ex hac breui vitae Lulliana historia intelligi potest, fuisse hominis huius characterem prorsus singularem, paradoxum, mixtumque, unde mirum non est, in tam contrarias de eo sententias viros doctos fuisse delapsos^k. Quibusdam enim admirandi ingenii homo vir beatus et tantum non sanctus, martyrioque venerabilis audiit, eiusque eruditio et imprimis acumen philosophicum maximorum virorum ingenio praelatum est. Vnde non suo tantum tempore doctor illuminatissimus appellatus est, sed ad nostra usque tempora inuenti quoque sunt, qui Lullium Cartesio aliisque summis viris praeposuerent^l, totusque in eo est Lvc. WADDINGVS, ut pietatem, zelum, doctrinam eius depraedicet, et in beatorum albo reponat. Alii vero contraria omnia de eo iudicantes, abiecta satis de Lullio sentiunt, in quibus BOVIVS^m haereticis, nugiuendulis, histrionibus, circumforaneis eum aggregat, damnatosque ab ecclesia errores eius fuisse monetⁿ: notumque illud poëtae^o:

*Qui Lulli lapidem quaerit, quem quaerere nulli
Profuit, haud Lullus, sed mihi nullus erit.*

Nobis, si quid decernendum, laudandum quidem videtur Lullii ingenium capax, amplum, igneum, nec eruditione sui temporis destitutum, quamvis eam sero acquisiuitset, sic ut eminere inter viros doctos potuisset, si iudi-

^a) ad Caue. loc. cit.

^b) Bibl. Hisp. vet. T. II. p. 84.

^c) Loc. c. p. 296. noua editio a multis iam annis promissa a V. C. IOANNE BUCHLEFIO, vid. Mem. de Trevoux 1722. p. 2023.

^d) Loc. cit. add. BORRICHIVS in conspectu scriptorum chemicorum §. 23. sqq.
^e) WADDINGVS loc. cit.

^f) Vid. LINDENIVS et MERCKLINVS loc. cit.
^g) Iudicia eruditorum de Lullio vid. apud THOM. POPE-BLOVNT. Cens. cel. Aut. p. 420. et MORHOPIVM loc. cit.

^h) Id de comite Ieberger, refert LEIBNITIUS Epist. ad Remundum, Recueil de div. pieces T. II. p. 163.

ⁱ) In Annal. ad annos ciratos.

^j) Factum id a Gregorio XI. deferente errores eius quingentes Nicolao Eymérico, vid. QUETIF de Script. Domin. T. I. p. 714. IO. MARIANA L. XV. c. 4. MIRAEVS Aut. c. 393. p. 71. NAT. ALEXANDER H. E. T. VII. p. 115. edit. fol.

^k) LANSIUS Consult. p. 377.

iudicij vis accessisset satis magna, subactusque doctrina animus modum statuere imaginationi extra orbitam haud raro vaganti nouisset. Verum magnam iudicij inopiam atque paupertatem quandam Lullium pressisse et tota vitae eius vagae historia testis est, et scripta eius genuina loquuntur, et inepta martyrii affectatio prodit; immo ipsa ars Lulliana tantoper multis depraedata sobrie sentientibus demonstrat: quare non improbandi sunt, qui ingenium ei phantasticum tribuunt, quod foecundissimae legibusque solutae imaginationis ardore eruditioni eius obfuit, ex quo euenit, ut multa scriberet et ageret, quae stulti potius, quam sapientis esse videbantur. Ex quo facile iudicari potest, quem locum inter philosophos tueatur, quem ei vindicare videntur et ars chemica, mutandorum metallorum si fabula vera, perita, et ars illa magna, quae ab eo Lulliana appellari solet, neutra tamen talis est, ut philosophi magni characterem ex ea tueri queat.

§. V. Et artis quidem chemicae, vel potius metallorum transmutandorum peritiam physicam Lullium habuisse, partim ex inuentione vini adusti, quam ei tribuunt¹, partim ex adducto supra exemplo parati ingentis acerui auri ex viliori metallo, partim ex lapide philosophico, quem possedisse dicitur, exque medicina vniuersali, qua aetatem ad CXLV annos prorogauerit, probare contendunt, qui huic arti ex Lullii exemplo praefidum quaerunt. Quibus quid responderi debeat, ex supra dictis iam notum esse potest. Quaecunque enim ei tribuuntur chemica, incertissimum est, annon ad Raymundum de Terraga pertineant², vel ab otiosis hominibus Lulliano nomini sint supposita? cum reuera eiusmodi notitiam chemicam habuisse Lullium, rationibus, quae id euincant, idoneis nondum demonstrauerint, quibus ista placet opinio. Quibus vero difficultatibus prematur traditio de mutato metallo in Britannia, supra iam diximus, quae hoc loco repetenda non sunt. Nec sufficit, quod facit BORRICHIVS³, colorem ex male cohaerentibus quibusdam narratiunculis fabulae quaerere, sed qui ista probare satagit, eum testes fide dignos et coaeuos fraudisque et credulitatis non suspectos de tam insolita et incredibili re producere oportet, quales non esse Robertum Constantiun, Zwingerum, Dickinsonum, ipse forte concederit, qui ad eos prouocat Borrichius. Illud sane omnem rationum phalangem euertit, quod ipse scripsit⁴: *Elementaria habet veras conditiones, ut una species se non transmutet in aliam, et in isto passu Alkymistae dolent, et habent occasionem flendi; et alio loco: orbis docet aurum chymicum non esse nisi apparenter aurum.* Vedit Borrichius vim horum verborum, ad euertendam omnem, quae Lullio tribuitur, alchemiae peritiam necessario facientium, quam cum negare non posset,

¹) MOSHEM. Hist. Chrif. sec. XIV. P. I. c. 1. Neophytus, quia ex Hebraeorum Rabbino Christianus factus est.
²) p. 777.
³) CONRING. apud POPE-BLOVNT. loc. cit.
⁴) Vid. NAT. ALEXANDER loc. cit. dictus est

loc. cit.
⁵) Art. magnae P. VIII. S. II. c. 52. p. 453. edit. Argent.

posset, cauillatione quadam usus est, cauissando^u: *Lullium non nisi post editos libros quam plurimos, non nisi ultimis vitae annis ad magisteria chemicarum intima penetrasse, ab Arnoldo Villanouano rectiora ipsa auctoritate edocum.* Nec scripsisse aliud, quam quod sano intellectum sensu nullus chemicorum inficias iturus sit: nempe species metallorum vere transmutari non posse, nisi in primam prius reducantur materiam; aurum vero chemicum mentiri, valere tantum de adulterinis pseudochemicorum fraudibus. Quae tam docto viro hypotheseos gratia ita disputanti non excidisse optamus, adeo futilia sunt, et ad verba Lullii plane non quadrant. Ea enim clarissime docent, mentem Lullii eam esse, elementatiuorum eam prorsus naturam esse, ut mutari nequeant^x, idque intelligendum esse de mutationibus, quas Alchemistae iactant, quos ideo friuole agentes frustaque in re impossibili operam perdentes dolere plorareque iubet. Qui itaque in eo potissimum puluerem et carbones perdunt, ut metalla prius in materiam primam redigant, eos ob naturam et conditio- nem elementatiui frusta agere Lullius pronuntiat, adeoque in altero quoque loco de omni chemicorum conatu aurum producendi ex viliori metallo, necessario intelligendus est. Id quod omnes cauillations Borrichii uno ictu posternit. Senem vero Lullium ab Arnoldo Villanouano hanc artem didicisse, idoneis prius testibus, quibus destituitur vir doctus, probandum est, incertumque demonstrat per multo incertius, sapitque fabulam huius furfuris hominum, qui ut auro viros potentes emungant, magnorum virorum nomina inanissimae arti praetendunt. Ex his vero corruit quoque fabula de lapide philosophico, et medicina vniuersali, aetateque Lullii prorsus insolita. Eum enim aetatis anno octogesimo obiisse, ex supra dictis constat.

*Ars magna
Lullii.*

¶ VI. Meliori iure inter philosophos sumnum locum meruisse vide- ri possit Lullius, si multos viros doctos audiamus^y, quibus arte ista noua, humanum ingenium ad vniuersalissimas notiones earumque combinationem, et eius artificio ad inuentionem et amplificationem cuiuscunq; generis veritatum omnium perduxisse, et instrumentum exhibuisse visus est, quo compendiaria via ad summam ei eruditionem exiguo tempore graffari liceat. Qua de re inuidenda prorsus elogia artis huius fautores ei tribuunt, exemplisque probare contendunt, viros quosdam magnos incre- dibili temporis breuitate eius ope ad summum doctrinae fastigium pertigisse. Vnde non nemo^z: *Tanta est Lulliana artis vis, tanta efficacia, ut hac una instructus reliquas haud difficulti labore comparare, hoc efficere queat, ut alios sui in admirationem traducat, et tanquam aliae, quod aiunt,*

u) De mirabilibus orbis.

x) Ratio est, quia elementatiua secundum Lullium principia naturalia simplicia, comprehen- dunt, quae mutari nequeunt. Vid. l. c. p. 23.

y) Consulendus hic imprimis MORHOF. l. c. et quos laudat. Inter eos praecipue notandus

IO. HENR. ALSTEDIVS, cui debemus elauem artis Lullianae et verae Logicae. Arg. 1609. 8.

z) Qui dedicationem operibus LULLII ad ar- tem vniuersalem spectantibus, cum Comm. A- GRIPPAE ET IORDANI BRVNI Arg. 1598. 8. editis praefixit.

aiunt, gallinae filius in omnium ore versetur. Testantur hoc tituli cum primis literarii a regibus potissimum ob hanc ipsam Raymundo Lullio exhibiti: tanta enim suo fuisse aeuo auctoritatis atque eximiationis legitur, ut iustissimi Arragonum reges eum in priuilegiis eidem concessis, magnum in philosophia magistrum et mirandarum artium, et scientiarum auctorem nominarint. Planum id ipsum faciunt variis in nationibus varii: in Italia Petrus Daginus, Mediatus et Iacobus Iauarius; in Hispania Ferdinandus Corduba, Petrus Iacobus Faber Stapulensis, et Carolus Bouillus in Gallia; in Germania Andreas, Petrus, Iacobus, fratres germani, natione Frisiones, cognomine Canterii, alibi alii^a: qui omnes vel exiguo temporis spatio, etiam in constanti aut decrepita constituti aetate a litteris alias alieni prorsus, vel etiam in pueritia et iuuenilibus annis huic arti Lullianae unice cum incumberent, in stuporem quasi, non dicam admirationem alios deduxerunt. Addi his potest apud Maioricenses et Barcinenses auctoritate regia loco Aristotelis Lullianam artem introductam, egregia regum Hispaniae priuilegia meruisse, vt supra iam dictum^b. Tantaque Artis huius multos cepit admiratio, vt magni quoque viri eam vehementer commendarent, suisque illustrarent commentariis, inter quos HENRICVM CORNELIVM AGRIPPAM^c et IORDANVM BRVNVM NOLANVM^d ideo nominamus, quod ingenii παραδόξη celebritate commentis his famam conciliauerint: alios de hac arte meritos enumerat D. G. MORHOFIVS^e, quem exscribere hoc loco non licet. Neque tamen eruditos omnes Artis subobscurae et magno hiatu nihil dignum praestantis splendor ita occaecavit, vt magnificum crederent, quod intelligi difficulter potest; sed perspicerunt probemagna et acuta ingenia, plus ostentationis inesse arti huic, quam doctrinae. Recteque, nisi fallimur, carpunt, quod mera aenigmata offerat, nocte quasi atra cincta, tenebrisque obruta, quae si dispellantur, pro thesauris inueniantur carbones. Non negat hoc MORHOFIVS^f, licet pretium isti arti statuerit haud exiguum, fassus, tantis nebulis omnem illam Arthem, quatenus ex Lullio deducitur, inuoluere eius magistros, ut nec Oedipus ipse coniectando asequi possit. Id quod diffiteri non potuit, quem alterum ingenio Lullium recte vocaueris, Brunus Nolanus, cuius de occulta hac arte verba excerptis MORHOFIVS^f, quem vide. Vbi vero tenebrae dispelluntur, parum viri oculati inueniunt, quod pretium mereatur, cum, quaecunque philosophantium obiiciuntur ingenii, merum imaginationis emotae lusum, exhibeant, quae vbi allegoriis insanis,

^{a)} Conf. HORNIUS Hist. phil. L. VI. c. 10. p. 318. MORHOF. l. c. p. 369.

^{b)} MARIANA l. c. MIRAEVS l. c.

^{c)} Dehemus ei Comim. in artem breuem R. Lullii, l. c. p. 810. seqq.

^{d)} Scriptis et Specierum Scrutinium, et Lampada combinatoriam, ib. p. 685. seqq.

^{e)} loc. cit. Inuidendis is Lullium in dedicatio-

ne ornat elogis. Idem praefat in dedicatione Agrippa, qui tamen more suo de Van. Scient.

„hanc artem ad pompa ingenii et ostentationem

„eruditioris potius, quam ad comparandam do-

„ctrinam valere, ac longe plus habere audacie,

„quam efficacie“ pronunciat.

^{f)} loc. cit. p. 369.

^{ff)} Ibid.

nis, (qui praecipue mos Bruni fuit, hominis imaginationis oestro furens) vestiuntur, magnificum quid promittunt, nudata his vestibus nihil nisi externas quasdam notionum relationes et combinationes vniuersalissimas porrigunt, leuem scilicet mercem, et ad ipsam rerum naturam atten-torum labore et meditatione indignam. Vnde acutissimi VERVLAMII & sententia: *Nonnulli viri magis tumidi, quam docti insudarunt circa methodum quandam, legitimae methodi nomine haud dignam, cum potius sit methodus imposturae, quae tamen quibusdam ardelionibus acceptissima procul dubio fuerit.* Haec methodus ita scientiae alicuius guttulas aspergit, ut quis sciolus specie nonnulla eruditionis ad ostentationem possit abuti. *Talis fuit ars Lullii, talis typocosmia a nonnullis exara-ta, quae nihil aliud fuerunt, quam vocabulorum arris cuiusue massa, et aceruus, ad hoc, ut qui voces artis habent in promtu, etiam artes ipsas perdidicisse existimentur.* Non poterit de re ipsa iudicare, et de dissiden-tibus inter se virorum eruditorum de hac Arte opinionibus sanum formare iudicium, nisi quis ipsa Artis huius discat principia, et in quo illius myste-ria sita sint, intelligat. Ast hoc laboris ingratit et inutilis prorsus opus est. Vnde lectoris quoque patientia abuti, et quos fumos Lullius vendiderit, hic prolixe exponere, nefas esse putamus. Enarrabimus tamen paucis, quae summa reisit, ne inuidisse in ipso historiae reformatae philosophiae vestibulo curioso Lectori diuitias videamur, quibus tot viri magni pretium statuerunt haud infimum. Nempe non ad ratiocinandi artem haec scientia per-tinet, sed ad differendi, neque ad iuuandum iudicium, sed firmandam memoriam, et regendam in certa quadam via imaginationem. Quamuis enim ad rationalem philosophiam plerique eam sectatores retulerint, et ideo more suo *Logicam venatoriam*, quae mediorum terminorum artificium et inuentionem ista arte duce perquirit, instituerit B R V N V S, nihil tamen agunt aliud, qui ista nobis pro thesauris vendunt, quam ut gene-rales illas relationum et combinationum classes, genera modosque ad lo-gicas regulas ἐνοτράς, ἀνοτράς adplicant, mirisque et ineptis prorsus allegorii vestiant. Pari enim ratione ad alias quoque scientias Ars illa adhiberi potest, et ad ipsa sacra theologiae capita ipse ad-hibuit Lullius. Ex quo intelligitur, Artis huius usum plane nullum esse iis, qui disciplinarum, de quibus tractare volunt, praecepta non tenent, et ad meras vitilitigationes redire omnia, nisi ex domesticis scientiarum fonti-bus instruantur. Id quod ex generali artis huius typo intelligitur, cuius summa est, terminos generalissimos scientiarum omnium, maxime, logicae, metaphysicae, ethicae et theologiae ex locis propriis sublatos in commune quasi Artis huius vniuersalis horreum congerere, eorumque ne-xum, combinationem, relationes, respectusque per qualitatum, modo-rum, praedicatorum, similitudinum, contrariorum, affectionumque re-liquerum considerationes definire, ut inde nouae exoriantur detegantur, que

g) De Augment. Scient. L. VI. c. 2.





Fig. III.



Fig. V.



<i>Tempus</i>	<i>Locus</i>	<i>ad p. 19.</i>
I	K	Qu




Fig. IV.






Fig. VI.





que ideae, et amplificantur scientiae. Hunc in finem, imaginationis ope in subsidium aduocata, certas quasdam cameras areasue alphebetarias construit, in quibus caue, putes nexus quendam naturalem deprehendi, cuncta enim solo arbitrario imaginationis lusu inter se constant. Ponit itaque Lullius primo quidem alphabetum huius artis, ut per ipsum possint fieri figurae miscerique principia et regulae ad inuestigandam veritatem. Illud ab A. ad K. extenditur, affixasque sibi habet notiones vniuersales, hoc modo:

	A	B	C	D	E	F	G	H	I	K
Praedi- cata	Absoluta	Bonitas	Magni- tudo	Aeterni- tas seu Duratio	Potestas	Sapien- tia	Volun- tas	Virtus	Veritas	Gloria
	T Relat- i Refre- ctus	Differen- tia	Concordan- tia	Contr- rietas	Principi- um	Medium	Finis	Maiori- tas	Aequali- tas	Minori- tas
Alphabe- tum seu principia Artis mag- nae sunt aut	Q. Quaestiones	Vtrum	Quid	De quo	Quare	Quantum	Quale	Quando	Vbi	Quomo- do Cum quo
	S. Subiecta	Deus	Angelus	Coelum	Homo	Imagina- tio	Sensitua	Vegetati- ua	Elementatiua	Instrumentatiua
	V. Virtutes	Iustitia	Pruden- tia	Feritudo	Temperan- tia	Fides	Spes	Charitas	Patientia	Pietas
	V. Vitia	Avaritia	Gula	Luxuria	Superbia	Acedia	Inuidia	Ira	Mendaci- um	Incon- stantia

His suppositis quinque potissimum figuras circulosue constituit, duos subiectorum, duos praedicatorum, vnumque, qui claves eorum complectitur. Circulus subiectorum est vel minor vel maior; minor immobilis est, substantiasque exhibit nouem classibus comprehensas, vid. Tab adiecta Fig. I. His enim nouem classibus quocunque subiectorum genus comprehendit Ars haec statuit. Cum autem inter elementatiuum et instrumentatiuum distinguendum sit, eo quod elementatiuum est, quod solum habet esse substantiale; instrumentatiuum autem, quod habet suum esse in alio, vt in principali subiecto; hinc huius iterum respectum vel naturalem vel moralem esse definit. Et naturaliter quidem nouem praedicamenta accidentis constituit, quibus alter subiectorum circulus, qui mobilis est, illique inheret, conficitur, vt Fig. II. expressum. Moraliter autem illud consideratum accidentia moralia complectitur, nempe nouem virtutes et nouem vitia, vt ex Fig. III. disci potest. Hac ratione ex Alphabeto illo Cabalistico artis magnae desumtis circulis subiectorum plane omnium effen-

C 2 tias,

tias, qualitates, affectiones et relationes comprehendendi posse Lulliana Ars statuit, quae proprias ita subiecto cuius sedes se destinasse somniat, facile in quoconque argumenti genere inueniendas. Praedicatorum similis apud Lullium est ratio. Illa enim vel absoluta vel relativa sunt: et ista quidem tribus tantum capitibus comprehenduntur, essentia, vnitate et perfectione, quae tamen triangulari distributione in nouem iterum classes dispescuntur, ut ex Fig. IV intelligitur. Ex connexione vel combinatione autem subiectorum cum praedicatis mediatis his circulis exoriuntur propositiones et axiomata, quibus has auctor artis regulas constituit: talia esse praedicata, qualia permittuntur a suis subiectis: verbaque intelligenda esse, secundum substratam materiam. Hos vero terminos praedicatorum in tota latitudine sua accipiendos esse, res ipsa loquitur, vnde termini quoque cognati et repugnantes sub iis comprehenduntur, quorum indices huius artis auctores construere solent. Ut taceamus formas praedicatorum, ideo a Lullio excogitatas, ut modificationes praedicatorum, per quas conditionatur subiectum, id est, amplificationem eorum ostenderet. Circulus praedicatorum respectiuorum nouem quoque classes exhibit Fig. V delineatas, quae ad triplicem rem quandam exhibendi viam definitiōnem, diuisionem et collectionem respiciunt, vnde triplex illa triangulalris figura, respectusque exsurgit. His tandem adiicitur circulus compitus ex quaestionum formis, et responsionum regulis, quae clavis inuenitionis est, eo quod nexus subiecti et praedicati indicat; hic nouem quoque classibus nouem quaestiones complexis instruitur, ut ex Fig. VI discitur, eaeque quaestiones ad circulos subiectorum et praedicatorum ita adpli-cantur, ut inde axiomata, definitiones et collectiones eliciantur. Quae omnia fundamenti loco posita fertilissimum imaginationi campum exhibent, prolixas terminorum vniuersalium combinationes excogitandi, quas longa serie, et difficilibus figurarum et gryphorum similitudinibus explicant, qui his mysteriis enucleandis infudarunt. Quae tamen omnia hoc loco enarrari nec possunt nec debent, facileque apud ipsos auctores, et ALSTEDIVM^b praecipue, qui satis luculentus est, inueniri possunt, ut alios taceamus. Facile vero ex breui hac fundamentorum Artis Lullianae delineatione intelliget Lector, qui nato non caret, aut inanem esse omnem hanc Artem fumosque illos vendere, qui magnifica de ea promittunt, aut supponere eam, artium et scientiarum fundamenta, axiomata atque regulas ipsamque rerum naturam iam notam esse, qualem qui habet eruditio-nis perfectionem, carere illa Arte facile potest. Neque vero ex ipsa rerum indole, eiusque cum rebus aliis combinatione has regulas deducit, sed solo arbitrario imaginationis lusu vfa, dum quaedam nobis notionum vniuersalium repositoria exhibit, socom adaptat cothurno, et nec iudicium iuuat, nec veri a falso discriben ostendit, sed si modo vsum

^b) Loc. cit. Ipsa enim Lullii Ars magna, edita Argent. 1598. 8. Spissò volumine infuperibili laborat obscuritate, et sine taedio legi non potest.

Agrippae Brunique commentarii autem difficiles nugas exhibent Siculasque geras.

vsum habet, iis, qui scientiarum praefidiis instructi iam sunt, indicis aliquius generalis nec accurate nec plenarie satis confecti instar est, ut subeant facilius memoriam generales illae subiectorum, praedicatorum et relationum notiones atque termini. Vnde non plane negamus, quod post LEIBNITIVM¹⁾ contendit quoque MORHOIVS²⁾, ad artem ex tempore differendi haec mysteria aliquid conferre, sed haec potius Quirino Kuhlmanno, qui ingens Lullianis inuentionibus pretium statuit³⁾, similibusque ἐθεολογίαις vsum praestare possunt, quam sobrie philosophantibus et ratiocinantibus. Quisquis enim ipsa Artis huius fundamenta considerat, palpabit, nec adaequatam ea notionum generalissimarum distributionem comprehendere, nec talia afferre, de quibus veritatem sipientes solliciti esse debent, qui non ad ideas generales, sed speciales, proprias et domesticas respicere solent. Tacemus, eos, qui viuendo imaginationis splendore destituti sunt, confundi magis obscuris Artis huius symbolis, quam iuuari; qui vero hac ingenii dote non priuantur, sine ea facile in nexus et combinationem subiectorum et praedicatorum atque relationum penetrare posse; sic ut idem prorsus et meliori quoque iure de his Lullii mysteriis pronunciari possit, quod de topicis prudenter iudicauit auctor *Artis cogitandi*⁴⁾. Plura addere de re exigui, si verum dicendum, momenti, opus haud est.

§. VII. Volutauit se Lullius in Scholasticorum coeno, vnde comtiorem, quam ea tempora patiebantur, foetum producere non potuit, et pleni sunt barbarie mediæ aëui eius libri. Mirum itaque non est, parum placuisse Lullium ingenii elegantius quid spirantibus, quae iucundiora et humanitati magis apta exoptabant. His ducem se praebuit DANTES ALIGERIVS, natus Florentiae anno M CCLXV, quem primum restituae elegantioris literaturae parentem, et suscepitarum, quae in exilio oberrabant, Musarum Platonicarum tutorem recte dixeris. Non enarrabimus viri omnium primi, qui de literis humanioribus, et eloquentia imprimis atque poësi tum Hetrusco tum Latino sermone meruere, vitam, a LEONARDO BRUNO ARETINO, CHRISTOPHORO LANDINO, CRESCIMBINO⁵⁾, IO. PAPYRIO MASSONO⁶⁾ aliisque⁷⁾ expositam, quam alibi quoque⁸⁾ ὡς ἐν συνόψει retulimus, nec de eius meritis, virtutibus et vitiis, quibus et in vita, et in scientiis, maxime celebratissimo drame satyrico *de coelo, purgatorio et inferno* illustre nomen meruit, differemus: haec enim alterius loci sunt, et a viris doctis passim⁹⁾ accurate excussa, sed id tamen hoc loco moneri institutum praesens postu-

Elegantioris
literaturae et
philosophiae
primus re-
staurator
Dantes Ali-
gerius.

C 3

lat,

i) De Art. combin. p. 33. et Recueil des pie-
ces de la Phil. T. II. p. 164.

k) Loc. cit.

j) Apud EVNDÆM loc. cit.

l) P. III. c. 17. p. m. 420.

m) Hister. poët. Ital. p. 90. et 283. seqq.

n) T. II. Elog. p. 15 seqq.

o) Leonardi Brunii vitam Dantis edidit
FRANC. REDI 1672. 12.

p) In Germanico Hist. philos. opere T. V.

p. 1364 seqq.

q) Vid. BULLART. Acad. des sciences T. II.

p. 307. BAYLE DIct. T. II. Art. Dante p. 243.

IVLIVS NIGER Hist. Script. Florentin. p. 143.

lat, Dantem non modo elegantioribus literis, in iuuentute excultum fuisse, sed ex veterum quoque lectione subactum in philosophia iudicium retulisse. Quae causa fuit, cur TRITHEMIO⁹ vifus sit *philosophus et poëta nulli sua aetate inferior, ingenio sublimis et clarus eloquio, disputator omnium acutissimus*. Cuius eruditionis philosophicae specimen haud vulgaria laudato dramati inseruit, quam triplicem comoediam *Platonicae eruditionis lumine perillustrem esse*, iudicauit PAVLVS IOVIVS¹⁰. Auтор quoque est BOCCATIUS¹¹, quem sequuntur PAPYRIVS MASSONVS¹², Is. BULLARTIUS¹³ et GABR. NAVDAEVS¹⁴, ciuium inuidia exulem ad Parisienses abiisse, ibique physicis et theologicis studiis deditum acerrime cum aliis conflixisse. Ita vero Boccatus: *Fuit inter ciues suos egregia nobilitate verendus, et quantumcunque tenues essent illi substantiae, et a cura familiari, et postremo a longo exilio angeretur, semper tamen physicis et theologicis imbutus vacauit studiis, et adhuc Iulia fateretur Parisis, in eadem saepissime aduersus quoscunque dimicauisse.* Id quod ad iuueniles quidem annos magis, quam ad exilii tempus pertinere facile concedi potest P. BAYLE¹⁵, qui de iis hoc Dantis annis intelligit, quibus sub Bruneto Latino¹⁶ physicam et mathesin Parisis didicit; verba enim Boccatii aliud non euincunt: illud autem ex iis verbis manifestum est, Dantem in mysteriis philosophiae fuisse versatissimum, tempusque iis in exilio quoque triuiffe. Ille autem cum nouum emendandi sensus literarii exemplum suis esset, ciuesque primus quasi ex squalore barbarie, quae tum longe lateque regnabat, ad humanitatis studia reuocasset, miscendo iis philosophiam, non illam ineptam et strigosam, quae tum in scholis perfonabat, sed amoenam et nitidiori habitu se commendantem, recte inter reformatores philosophiae refertur, quamuis pauca in ipfa philosophia preeftisset. Valuisse tamen aliquid in argumento philosophico serioque *Quaestio eius de natura duorum elementorum aquae et terrae*¹⁷ satis prodit.

Franciscus
Petrarcha.

§. VIII. Ex Dantis schola illustre Italiae fidus, FRANCISCVS PETRARCHA prodiit, cuius potissimum eruditionis radii tenebras seculi XIV dispulerunt, et diem literis atque elegantiori philosophandi rationi reddiderunt. Eum inter philosophos huius aetatis referendum esse, vel vnius TRITHEMII¹⁸ testimonium euincit, cui Petrarcha audit *philosophus, rhetor et poëta celeberrimus; qui humaniores disciplinas post longa silentia mortuas ab inferis reuocauit ad superos, non minus sancta conuersatione, quam scientia clarus emicuit.* Cui iudicio longe verissimo suc-

r) Cat. S. E. c. 546. p. 131.

s) Elog. c. 4. p. 19. conferenda erudita pæfatio nouae dramatis huius editioni. a) Cel. 10. ANT. Vol. I. 1720. curiae præmissa.

t) De Genealog. Deor. L. XV. c. 6.

u) loc. cit. x) loc. cit.

y) Addit. ad Histor. Ludou. XI. p. 175. 176.

z) loc. cit. nec. K. p. 246.

a) De hoc Dantis et Guid. Caualantis pæceptore qui in patria Florentiae obiit 1295. libro que de Virtutis et virtutibus, et Compêndio ethices Aristotelis inclaruit vid. IVL. NIGER de Script. Flor. p. 112. MICH. POCCIANTIVS de Script. Flor. p. 33. 44. BAYLE loc. cit. p. 246.

b) Vid. FABRIC. Bibl. Lat. Med. T. II. p. 39.

c) De S. E. c. 622. p. 147 feqq.

fuccinit quicquid literarum elegantiam nouit et amat, vt ex censuris celeberrimorum virorum a THOMA POPE - BLOVENTIO^a et MARTINO HANCKIO^b collectis, disci potest, quibus, si id ageretur, ingens addi posset acerius. Quanquam feuerum Petrarchae censorem nuper egit doctissimus NICERONIVS^c, cuius tamen acerbitate non mouebitur, quisquis cogitauerit, eos quoque heroes esse, qui glaciem frangere, audere que aliquid magni sustinent, quamvis omne punctum non ferant. De vita viri summi prolixam heic loci commentationem annextere, esset extra oleas vagari; solet ea ab iis commemorari, qui humaniorum disciplinarum historiam exponunt, qui adeundi nominati a praefantissimo FRANCICIO^d, aut videndi, qui ex instituto vitam celeberrimi literarum restauratoris descripsérunt, HIERONYMVS SQVARZAFICHVS^e, ANDREAS SCHROEDERN, aliique. Ipse de se studiisque suis passim in epistolis^f quaedam memorauit, addidere multa interpres Italicorum eius poëmatum^g, historiaeque literariae scriptores, qui cum in omnium manibus sint, facile consuli possunt^h; succinctam quoque de eius vita historiam nos alibiⁱ exhibuimus. Nobis hoc loco notasse sufficit, exortum esse bonis literis hoc fidus Aretii parentibus Florentinis anno clo CCCIV, inque adolescentia humanitatis logicaeque praeceptis imbutum Dantem Aligerium tandem praeceptorem fuisse nactum, quo duce fterquilinum scholasticae eruditionis contemnere, et elegantiores literaturam diligere didicit: conuersum deinde ad legum studium, cum barbaries, quae istam quoque scientiam eo tempore obsidebat, infensum illud elegantissimo ingenio redidisset, inuitu licet parente ad eloquentiae, poëeos et historiae culturam felicissimis conatibus animum applicuisse. In itinere porro Gallico et Italico hanc praefantissimarum scientiarum curam non deposuisse, poëtiae imprimis facultatis praefantia adeo insignem, vt in Capitolio Romano a gubernatoribus urbis hedera, myrto, et laurea poëtica solennitate publica et illustri condecorari meruerit. Post varias vero fortunae et commorationis vicissitudines et secessum praecepit Gallicum in valle amoena, quam Claufam vocant, postquam benevolentiam summorum principum expertus fuisset anno clo CCCCLXXXIV rebus humanis erectum esse, relicta summae eruditionis et cordatae quoque pietatis fama apud posteros. Huic potissimum restitutam ciuitatem debet fermo Latinus hunc parentem genuinum agnoscit poësis Italica: hunc historia habuit promumcondum felicissimum, hunc mores seculi corrupti viderunt censem imperterritum, quae omnia, vt illi immortalem pepererunt gloriam, ita suis quaeque locis

d) Cens. Celebri. Auctor. p. 432.

e) De Roman. rer. scriptoribus P. II. c. 42. p. 194.

f) Memoires T. XXVIII. p. 366 seqq.

g) Bibl. Lat. Mediae T. V. p. 675 seqq.

h) Saepius praefixam Petrarchae operibus separatum vulgavit IO. HENR. ACKERS Rudolstadtii 1711. 8.

i) Epist. Sen. L. XVIII. L. XV. Ep. 5. XVI. 1.

L. I. Epistol. Carm. script.

k) IO. MAR. CRESCIMBENS Hist. poës.

Ital. T. IX. p. 133 T. XV. p. 274 seq.

l) IOVIVS Elog. p. 12. N. C. PAPADOPOLIS

Hist. Gymnaſ. Patav. T. I. p. 280.

m) In Germ. H. Ph. Op. T. V. p. 1368.

cis a viris doctis enarrata quaeri debent". Nobis in philosophiae resurgentis historia virum summum negligere non licet. Quamuis enim strigosam et barbaram Scholasticorum sui temporis philosophiam perosus, in quisquiliis logicis, et metaphysicis tempus non perdidisset vir maioribus et pulchrioribus ingenii monumentis condendis natus; moralem tamen philosophiae partem, iunctis philosophiae et eloquentiae viribus exposuit, et praestantissima morum praecepta, dulcissima verborum elegantia animis inculcauit. Testes eius rei damus libros eius morales, *de remediis utriusque fortunae, de vera sapientia, de contentu mundi, de republica optime administranda et de virtutibus et officio imperatoris, de obedientia et fide uxoria, de auaritia vitanda*, et qui primo loco ponendus est, *de sua ipsis et aliorum ignorantia*. Non hic arida ineptarum, et ad animum emendandum minime proficuarum disputationum deferta inueniuntur, sed horti florentissimi, elegantissimarum obseruationum ex omni literatura decerptarum floribus referti. Immo cum plurima quoque historica et poetica pepererit foecundum Petrarchae ingenium, in illis quoque philosophiam non neglexit, et ab eius se praefidiis imparatum pectus non habuisse, ostendit, ut vel ex uno *rерum memorandarum* opere ad imitationem Valerii Maximi scripto intelligitur. Recte id intellexerunt discipuli eius, inter quos IOANNES BOCCACIVS^{m)} ita de eo: *Homo est coelesti ingenio praeditus et perenni memoria ac etiam facundia admirabili, cui familiarissimae quarumcunque gentium historiae sunt, sensus fabularum notissimi, et breuiter, quicquid philosophiae sacro iacet in gremio, manifestum est.* Dignum vero obseruatione hoc loco est, Petrarcham, cuius exemplum alii innumeris secuti sunt, qui de restituendis literis meruerunt, historiae quoque veteris philosophiae fuisse peritissimum, eaque in reuocanda disciplina elegantiore pariter atque suauiore felicissime fuisse vsum.

Discipuli Petrarchae.

§. IX. Ex Petrarchae officina, fauente diuina prouidentia plaudentibusque literis ingeniis aperta prodiit, quicquid fere inter restauratores elegantioris literaturae seculo XIV et XV referri solet. Tum enim barbariei bellum indici coeptum, tum postliminio receptae, quae haec tenus in exilio oberrauerant Musae Atticae, tum Latino sermoni honor habitus, tum restituta eloquentia et poësis, et quod maximum beneficium merito reputari debet, tum inepta philosophiae nuditas detegi coepit, et in ruborem dari. Intelliget ex his lector, non philosophos quidem nos hoc loco enarrare, sed literaturae elegantioris professores; adeoque eorum historiam alium locum aliosque commentarios poscere. Non tamen siccio praetereundi pede sunt in hac nostra tractatione, eo quod non modo illis acceptum referri debet, quod tandem nugari, in philosophia quoque, intellectus humanus desierit: sed et fuerunt inter eos, qui philosophiam sobria magis ratione tetigerunt. Inter hos, qui Petrarcham ipsum audiuit,

m) PURP. BLOVNT. p. 432. VOSSIUS de Hist. Lat. L. III. c. 1. p. 524. MART. HANCK. de Rom.

Rerum. Script. P. I. c. 42. p. 194 seqq.
n) In praef. operis de Genealog. Deor.

et ad meliorem disciplinam formatus est, referendus est IOANNES BOCCACIUS Certaldi in Tuscia anno M CCCXIII natus, denatusque anno MCCCLXXV, genere humilis, ingenio nobilissimus, liberalis doctrinae atque eloquentiae, quas a Petrarcha didicerat vindex strenuus, elegantiae Etruci sermonis assertor summus^o. Is Graecam linguam a Leontio Pylato Thessalonicensi, qui in gymnasio postea Florentino eam docuit, Latinam a Petrarcha didicit, cuius tamen in scribendo elegantiam Latinam non assecutus est. De quibus eius eruditionis speciminibus virorum doctorum iudicia post THOMAM POPE-BLOVNT^p collegit PETRVS BAYLE^q qui videndus, cum ad nostram ea rem non pertineant. Cum autem philosophiam non neglexerit, merito eius hoc loco facienda est memoria. Teste enim TRITHEMIO^r fuit vir in secularibus literis omnium sui temporis facile doctissimus, et diuinarum scripturarum non ignarus, poëta, philosophus et astronomus^s celeberrimus, ingenio subtilis et eloquio disertus. Specimen philosophicae cognitionis et historiae quoque veteris philosophiae dedit in libro *de Genealogia Deorum*, in quo fabularem Graecorum philosophiam reserare conatus est. Quamuis enim in interpretandis fabulis saepe nimium frigidumque esse, forte non praeter rem, ei obiecerit LVDOV. VIVES^t, recte tamen is ipse addit, felicius eum in isto labore fuisse versatum, quam illo erat seculo sperandum. Neque tamen suo omnia haec arua arauit vitulo, sed PAVLI DE PERVSIO libro *Collectionum*^u, usus est, ipso non diffidente, vnde ab intentato plagii criminе recte eum absoluit PETRVS BAYLE^v. Alias eius lucubrations tum Latinas tum Etruscas, a vitae eius et historiae literariae enarratoribus, quos alibi nominauimus^w, et imprimis a diligentissimo FABRICIO^x enumeratas, hic, vbi alia agimus, praeterimus, nec de centum nouellarum relationum opere, quod Decaëmeri inscripsit, quodque eius famam nonnihil coinquinavit, aliquid addimus, lectorem ad P. BAYLE^y dimittentes, qui iudicia eruditorum de hoc libro collegit. Boccacio iungimus LEONARDVM BRVNVM, a patria ARETINVM dictum, et cum Petro Aretino, mordacissimo satyrico, ut a THOMA A POPE-BLOVNT^z factum, non confundendum. Is cum Graecam literaturam a Chrysolora didicisset, in liberali autem doctrina magnam duce Colucio Salutato industriam collocauisset, apud pontifices maximos sui temporis, tandemque Florentiae plurimum valuit, magnusque meritis

Ioannes Boc-
carius.

Leonardus
Brunus Are-
tinus.

o) ERYTHRAEVS Pinacoth. III. p. 219.

p) p. 437 seqq.

q) Diſt. T. I. Art. Boccace p. 582 seqq.

r) Cat. S. E. c. 647. p. 152.

s) Melius Geographum dixeris, ob librum de montibus, fyllis, fontibus, lacubus, fluminibus, stagnis, patudibus et matibus.

t) De Trad. disciplinis L. III. p. m. 296.

u) TRITHEMIVS l. c. c. 634; p. 148. conf. FA-

BRICIVS Bibl. Lat. Med. T. V. p. 644.

x) l. c. nor. K. conf. VOSSIUS H. L. L. III. c.

l. p. 525.

y) In Hist. Phil. Germanice edita T. V. p. 1375.

z) Bibl. Lat. Med. T. I. p. 682 seqq.

a) l. c. not. L. Inde libri de tribus impostori-
bus auctor nonnullis perperam habitus, vid.
MONNOYE T. IV. Menag. p. 406. 414.

b) p. 453.

de Graecis et Latinis literis anno c¹⁵CCCC XLIV obiit, inter praestantissimos referendus, qui post foedam barbarie noctem lucem accenderunt melioribus literis. De quibus tamen eius meritis in rem humanitatis literariam illi adeundi sunt, qui res eius et scripta enarrarunt^c. Locum vero ideo in hac virorum doctorum, quos enarramus, serie exposcit, quia testibus TRITHEMIO^d, FLORIDO SABINO^e, et IAC. PHILIPPO BERGOMATE^f, in philosophia quoque non infeliciter versatus fuit. Quo praesidio ornatus et instructus ad vertenda Xenophontis, Platonis et Aristotelis scripta animum applicuit. Laudat praecipue id Iovivs^g, quod eius incomparabili beneficio, morales Aristotelis libros optima fide traductos legimus; quemadmodum commentarium quoque in libros Aristotelis oeconomicos, et Introductionem in eius moralia, Venetiis editam^h, reliquit.

Angelus Politianus.

§. X. Medio seculo XV, anno c¹⁵CCCCLIV, editus est ANGELVS CINVS, a patria Hetruriae oppido POLITIANVS dictus, vel hoc nomine nobis non tacendus, quod cum Pico et Ficino praesidio Mediceae domus nixis plurimum ad promouendam philosophiam veterem eruendosque pristinos eius sensus contulit. Vitae eius enarrationem post alios dedit WERNERVVS IACOBVS CLAVSIVSⁱ, qui cum THOMA CRENIO^k aliisque multis fuse a nobis alio loco^j adductis est videndus. Memoriam autem in historia philosophica commendauit suam, quod Pico atque Ficino in reuocanda philosophia Platonica auctoritate domus Mediceae opitulatrice manum porrexit, et ad explananda felicius Aristotelis placita, Alexandri Aphrodisei solutionem super nonnullis dubitationibus physicis ex Graeco traduxit, et ut Stoicae ethicae mysteria Latinis hactenus tantum non prorsus ignota vulgaret, Epicteti Enchiridium Latinum fecit: quam quoque operam praestitit Platonis Charmidi de temperantia^m. Ex quibus eius lucubrationibus luculento exemplo patet, doctissimorum virorum ea aetate industriam in eo potissimum fuisse versatam, ut veterem philosophiam postliminio reducerent, scripta philosophorum Graecorum suis notiori lingua legenda darent, sive humilitatis studia cum philosophia iucundo utile labore iungerent: id quod veros nobis characteres virorum summorum refert, qui in hoc resurgentis literaturae diluculo de philosophia mereri cooperunt. Eadem aetas tulit HERMOLAVM BARBARVM, Francisci filium, in hoc quoque

Hermolaus Barbarus.

c) Vid. quos nominauimus l.c. p. 1377. add. IVL. NIGER. de Script. Florent. p. 119. Giornali dei liter. d' Ital. T. IX. p. 201. FABRIC. l. c. T. I. p. 797 seqq.

d) De S. E. c. 784. p. 173.

e) Aduersus calumniatores Lib. L.

f) In Chron. Suppl. ad A. C. 1416.

g) Eleg. c. 9.

h) 1550. Vitam Aristotelis nondum editam

scripsisse refert CAS. OVIDINVS de S. E. T. III. p. 2386. i) Magdeburg. 1718. 8.

k) Praef. ad Angelii Caninii Hellenismum p. 19. Animadu. Philolog. P. III. c. 2. p. 22.

l) Loc. cit. T. V. p. 1379. inter quos imprimis BAYLE DICTION. T. III. art. Politien. p. 768. et Cel. HENR. BRENCMANN. Hist. Pandect. Florent. p. 306. Eloges de Thou et Teissier T. I. p. 168. videndi.

m) Vid. FABRIC. Bibl. Lat. Med. T. I. p. 263.

que albo eorum, qui elegantiores disciplinam colentes de philosophia simul meruerunt illustris. Is enim cum praecoci ingenio vteretur^a, et octodécim annos natus, vt ipse refert, libros scribere coepisset, decimo nono aetatis anno Themistii commentarios Latinos fecit, vigesimo quinto Aristotelis rhetorica, vigesimo octauo Dioscoridem, trigesimo opera Aristotelis rhetorica. Quae eruditionis eius, maxime Graecae, praeftantia fuerit, qua artis criticae peritia et audacia claruerit, quibus honorum fastigiis elatus, et inuidiae conatibus deiectus sit, quem ecclesiasticae purpurae honorem ei pontifex maximus destinauerit^b, et quae alia sunt, quibus celebre eius in eruditiorum historia nomen est, hoc loco, vbi breuitatem sectamur, non tangimus, legenda apud eos, qui res eius literarias tetigerunt^c. Illud autem omnino commemorandum nobis est, egregie Barbarum meruisse de philosophia Graeca, maxime Aristotelis, cuius operum versionem integrum diu meditatus est. Multa tamen eius scripta vt Themistii quoque, paraphrasibus illustravit. De quibus eius lucubrationibus digna sunt, quae legantur verba PETRI ALCYONII^d: *Itaque plura scripsit biennio exul, quam XX ante annis, cum patria frueretur, et honoribus illius florentissimus esset, Recognitionem erratorum Pliniani codicis, Explanacionem librorum de anima Aristotelis, cum iam ante eiusdem philosophi libros talis argumenti in Latinum conuertisset, et XVI libros de ratione differendi (veteres Peripatetici organon eos appellant) et quinque rhetoricos, et unum poeticum, octoque Dioscoridis medicos, quos alio etiam opere instruxerat, quod Corollarium inscribebat. Adiecerat quoque pulcherrimam expositionem ad libros analyticos posteriores Aristotelis ante in Latinum translatos.* Et haec quidem omnia abhuc diligentissime asseruari vidi a fratribus illius, cum sedecim abhinc annos Venetiis Bibliothecam illius excuterem: atque incredibili sum laetitia elatus, cum cognoui, doctissimi, amicissimique hominis elucubrationes non intercidisse, quod ne euenisset, magnopere verebar, cum in suburbano Oliuierii Caraphae, collegae mei ex pestilentia obiisset, (anno clo CCCXLIII) et domestici intimique familiares fuga saluti suae consuluissent, omniaque, tanquam bona caduca, in medium reliquissent. Sed eius generis scripta ab interitu et furto vindicata fuisse narrabant Zenotelis cuiusdam opera, quem ille habebat ad manum. Solebat autem persaepe mibi recitare, quae ex Aristotele faciebat Latina, iudiciumque exquirebat meum, quod sic tamen interponebam, vt perspicere posset, placere mibi suam industriam, et Peripateticae disciplinae intelligentiam, quae pernecessaria est homini in tali scribendi genere versanti: non satis autem probari dicendi rationem,

D 2

nem,

^{a)} Conf. BAILLET. de pueris praecocib. p. 91 seqq.

^{b)} Falso enim est TRITHEMIUS de S. E. c. 878. p. 209. qui Cardinalem fuisse putat, cui puram modo destinauit Alexander VI. vid. Gior-

nal. de Ital. T. III. p. 52. XXVIII. p. 159.

^{c)} NIC. COMN. PAPADOPOLI Hist. gymna⁴ Patav. T. II. p. 28; et quos in Germ. H. P. opere T. V. p. 1381. nominavimus.

^{d)} De exilio L. I. p. 60 seqq.

nem, quia in sententia Aristotelica exprimenda vtebatur: sed hoc illius aetatis fuit vitium, ut a puritate Latinae linguae abhorret. Ad quem locum Alcyonii de philosophicis Barbari laboribus ea consuli cupimus, quae notauit I. A. FABRICIVS^r. Ceterum adeo difficilem in interpretando Aristotele nonnulli fuisse volunt, vt daemonem de significatione vocis entelechia interrogauerit. Tradit id PETRVS CRINITVS^s his verbis: *Et reuera pereculis vocula daemonum et exigua est: quod olim noster quoque Venetus Hermolaus dicebat, vocem se daemonis pertinuum et paene subsibilantem audisse, qua ille de Aristotelis entelechia interrogatus sibi ipse et Georgio Placentino responsum habuit.* Cuius fides sit penes auctorem. Addi his tertius potest POGGIVS BRACCIO LINVS, discipulus Ioannis Rauennatis, Manuelis Chrysolorae et Collutii Salutati, quamvis is lerido magis ingenio, quam philosophiae cognitione nomen meruerit, de cuius rebus literariis, praeter eos, quos in Germanico Historiae philosophiae opere laudauimus, videndi viri magni nominis, IO. BAPT. RECANATVS^t, IACOBVS LENFANTIVS^u, ALB. HENR. SALLÉNGRE^v, IO. ALB. FABRICIVS^w, et NICERONIVS^x. De libris vero eius moralem philosophiam illustrantibus consulendi IVL. NIGER^y et IO. FABRICIVS^z.

Poggios.

Franciscus
Philelphus.

§. XI. Eandem viam in coniungenda cum philosophia disciplina liberali et humanitatis literis tenuit FRANCISCVS PHILELPHVS, Ioannis Chrysolorae, qui post iter ad Graecos, Latinas Graecasque literas Bononiae, Romae, Mediolani, Florentiae, Patauui et Mantuae, vna cum philosophia morali et eloquentia docuit, et illustre nomen, inter restauratores literarum meruit, de cuius rebus praeter ipsum passim in epistolis, et IOVIVM^b, BERGOMATEM^c aliosque consulendi sunt IO. HENRICVS FOPPIVS^d, NICERONIVS^e et IO. ALB. FABRICIVS^f, quosque hic porro in partes vocat, qui quoque de ratione eius scribendi, de poetica facultate, et scriptis historicis differunt, de quibus praeter iudicia eruditorum a POPE - BLOVNTIO^g, collecta conferendus BERNARDVS MONETA^h. Nobis eius hoc loco mentio facienda est ob librum *de morali disciplina*, quem Aristotalem secutus conscripsit: tum ob libros duos *Coniunctionum*, quos, qui in eos praefatus est, LUDOVICVS VIVES valde laudat ab historiae et antiquitatum atque philosophiae cognitione. Vnde TRITHEMIOⁱ quoque a philosophiae peritia impense

^{r)} Bibl. Lat. Med. T. I. p. 457 seqq.^{s)} De honesta discipl. L. VII. c. II.^{t)} T. V. p. 383.^{u)} In vita Poggii praemissa eius Hist. Florent. et in Observationibus criticis ad Poggiana.^{v)} Ei debemus Poggiana, Amst. 1720. 8. edita.^{w)} Memoires de literature T. II. Art. 1 seq.^{x)} Bibl. Lat. Med. T. V. p. 890.^{y)} Memoir. T. IX. p. 128 seqq.^{z)} Hist. Script. Florent. p. 473 seq.^{a)} Hist. Bibl. Fabric. P. III. p. 320.^{b)} Elog. c. 17.^{c)} Cont. Chronic. L. XV.^{d)} Is vitam Philelphi ex eius potissimum scriptis collectam et accurare conscriptam inseruit Miscell. Lips. T. V. p. 322 seqq.^{e)} Memoir. T. VI. p. 71.^{f)} Bibl. Lat. Med. T. V. p. 845.^{ff)} Cenf. Cel. Auct. p. 471 seqq.^{g)} Menag. T. IV. p. 232 seqq.^{h)} Cat. S. E. c. 855. p. 203.

impense commendatur, qui filium quoque eius Marium, qui Venetiis et Mantuae philosophiam et eloquentiam docuit, ob philosophicam eruditionem valde extollitⁱ. Idem de PETRO PAVLO VERGERIO praedicat TRITHEMIVS^k, quem non modo virum in diuinis scripturis studiosum, verum etiam in secularibus literis eruditissimum, philosophum et rhetorem celeberrimum vocat, concinente RAPH. VOLATERRANO^l, aliisque quorum ille Iurisconsultorum suo tempore eloquentissimum et simul philosophum vocat, hi multi in eius laudibus sunt, videndi apud VOSSIVM^m, P. BAYLEⁿ aliasque. Inter eius scripta libellus quoque est, *de ingenuis moribus*^o, quo haud contempnendum specimen exhibuit, quae ei de philosophia infederit sententia. Dum enim iuuentuti morum et honestarum disciplinarum praecepta tradit, ita institutionem hanc discipulo commendat, ut pateat, humani eum animi naturam, mores, inclinationem, vitia, emendationem ita perspexisse, ut accurata inde philosophiae moralis cognitio ipsis, quibus viuebat, temporibus, prorsus insolita et peregrina illi adfuisse censi queat. Maxime vero commendandus est libellus utilissimus eo quoque nomine, quod disciplinarum iuueni tradendarum ordinem instituit optimum, et viam praeparat, ut philosophia non ad ostentationem, sed ad usum animi muniri queat. Quare non moralis tantum doctrinae culturam vehementer illi inculcat, eamque historiae luce collustrare iubet, sed et naturalem scientiam; *eo quod intellectui humano consona atque conformis sit, per quam naturam rerum animatarum inanimatarumque principia passionesque et eorum, quae coelo et mundo continentur motuum ac transmutationum causas effectusque cognoscamus.* Ita vero his praeceptionibus ingeniorum delectum per varias classes adaptat, ut iucundissimum sit videre, quas sibi philosophia magis sobria in ipsa παιδεία sua infantia vires acquisuerit. Addimus Vergerio IANNVTIVM MANETTVM Florentinum, is enim tum *Isagogen Porphyrianam* noua ueste latina donauit, idemque libris *Categoriarum Aristotelis* praestitit, tum Socratis atque Senecae vitam descripsit^p, luculento exemplo, viros doctos Italiae tempore renascentium literarum philosophicam historiam ad praeparandos ad philosophiae culturam animos adhibuisse.

Petrus Paulus Vergerius.

Iannutius Manettus.

§. XII. Altius seculo XV in philosophiae mysteria penetravit NICOLAUS CVSANVS, a patria Cusa, vico Mosellae in Treuirense dioecesi proximo, ubi ineunte seculo hoc obscuris originibus in lucem editus est, dictus. Is tantopere naturam largissima ingenii munera distri-

Nicolaus Cusanus.

D 3 buen-
nis Bonardi presbyteri Veronensis et Liniaci
professoris.
P) Vossius de Histor. Lat. L. III. c. 7. p. 581.
Vtebatur vero fauore Nicolai V. P. M. qui valde
Peripateticam disciplinam omnemque literaturam
elegantiores commendabat viris doctis,
promquebatque. Is Ianettum equitis dignitate
auxit.

i) TRITHEM. loc. cit. e. 856. p. 204.
k) c. 761. p. 178.
l) Anthropol. L. XXI. p. 775.
m) De Hist. Lat. L. III. c. 5. p. 553.
n) Dict. T. IV. art. Vergerius p. 430.
o) Primam editionem nominat Ven. 1502. P. BAYLE I. c. not. B. est autem inter reculas nostra alia prior Ven. 1497. 4. cum comm. Ioan-

buentem benevolam expertus est, vt in omni genere eruditionis, theologiae, iurisprudentiae, philosophiae, et matheſeos maxime excelleret. Cumque et mentis acies, et experientia accessiffet, quibus animi virtutes iunxit pulcherrimas, ex doctore theologie episcopus Brixiae, tandemque Cardinalis factus est, defunctus anno clo CCCCLXIV. Non tangamus lites eius cum Sigismundo Archiduce Austriae^r, vel quas partes ille in concilio Basileensi fecutus fuerit, et dereliquerit postea; alium enim ista locum postulant, et in historia sacra et literaria scriptorum ecclesiasticorum tradi solent^s, sed monemus modo, virum acutissimum profundam philosophiae suo seculo melioris et magis sobriae cognitionem prodidisse. Non prouocabimus ad TRITHEMII^t testimonium, valde eius eruditio nem theologicam, philosophicam et mathematicam extollentis, sed ipsius libros testes esse volumus, omni exceptione maiores^u, magnisque eruditorum elogiis, ex parte a THOMA POPE - BLOVNTIO^v collectis probatos, quamuis in iis perspicuitas interdum desideretur, quod tamen subtilissimas meditationes prosequenti facile condonari potest. In iis id praeципue obseruandum est, virum profundi iudicii, et insolitae in rebus quoque physicis et mathematicis eruditionis, considerata humani ingenii imbecillitate, et ferociente suae aetatis scholasticorum philosophorum de quoconque argumento etiam difficile et obscuro disputantium superbia modum ingeniis posuisse, editis libris tribus de *docta ignorantia praecisionis veritatis inattingibilis*, quos quoque *Apologia contra Ioannem Venechum* defendit. In his vero libris adeo humani intellectus vires deprimit, vt paene in Academicorum partes transeat, vnde *de conjecturis* quoque libros duos edidit, demonstratus *omnem humanam veri positivam assertiōnē esse conjecturam*. Sed in aliis quoque scriptis insolitam philosophiae cognitionem prodidit, difficillimas metaphysicae veritates enucleans; disputauit enim *de sapientia, de mentis natura, de speculanda veritate, de possibilitate, siue materia uniuersi, de speculo intelleguali, per quod res cognoscimus, de venatione sapientiae, de apice theoriae et similibus*; vt taceamus scripta mathematica, magnam ingenii aciem prudentia, de quibus scriptores historiae literariae, et inter eos WHARTONVS, FABRICIVS, VOSSIUS, videndi.

Donatus Acciaiolus.

S. XIII. Ioanne Argyropulo paeceptore Graecam linguam et humaiores literas cum philosophia Aristotelica iungere didicit DONATUS ACCIAIOLVS, siue ACCIEVOLVS, Florentinus, vir magna eloquentiae rerumque gerendarum peritia laude inclytus. Illi praeter *Vitam Caroli M. et Vitarum Plutarchi* paraphrases nonnullas, de quibus VOS-

SIVS

q) Vid. TRITHEM. Annal. Hirsaug. P. II. p. 439. Gundlingians XIII. p. 265.

diligenter recenset FABRICIVS loc. cit. T. I. p. 1239 seqq.

r) Domui hospitali in patria excitatae diuitem librorum supellectilem donasse refert TRITHEMIVS c. 804. p. 187.

t) p. 467.

s) Loc. cit.

u) Ad Caueum p. 105.

f) Ultima editio prodiit Baf. 1565. fol. quam

v) De Hist. Lat. L. III. c. 6. p. 563. de Scient.

Mathem. p. 62. 63.

S I V S ^{w)} videndus, debemus *Commentarium in Aristotelis libros ethicos et politicos.* In eo tamen, ex lectionibus praceptoris Argyropuli profecisse, nec ipse negat, a plagio ideo, cuius nonnulli illum accusant, absoluendus ^{x)}. Idem seculum produxit IOANNEM I O V I A N V M P O N T A N V M, inter oratores, poetas criticosque seculi XV, virum summum. Qui vel ideo notandus est, quod teste B A L T H A S A R E B O N I F A C I O Y suavis poeta, acutus criticus, ethicus, historicus, astrologus doctus et disertus, nullo praceptorre aut ad carmen componendum aut ad philosophiam ediscendam, aut ad coeli significationes intelligentias institutus fuerit, sed insita vi animi lectioneque assidua sibi haec omnia comparauerit. Parum tamen, quod momentum singulare habeat, in philosophia praestitit, quamuis eum isto nomine laudet B A I L L E T V S ^{y)}, cum Aristotelem more reliquorum interpretandum magis, quam excutiendum sibi sumferit. Idem sectatus iter est A P O L L I N A R I S O F F R E D V S, medio seculo XV clarus, quem et salutaris artis peritia, et philosophiae Aristotelicae cognitio fecit celeberrimum. Is tanta felicitate Lycei doctrinam perspexisse credebatur, vt Aristotelis anima, et Peripateticorum deliciae appellaretur. Quae caussa fuit, cur commentarii eius in libros *de anima* et in *Analytica posteriora* magnam ea aetate auctoritatem obtinuerint ^{a)}. Praeter hos ingens adhuc aceruuus eorum est, qui stellarum exorientium instar dispellere tenebras, quas barbaries per tot fœcula induxerat, et reuocare literarum lucem felicibus auspiciis conati sunt, hincque de ornatori quoque philosophiae cultu fuere solliciti, inter quos, si vel solam respicias Italiam, celeberrimum nomen extulerunt Leonardus Iustinianus, Bartholomaeus Facius, Matthaeus Palmerius, Carolus Aretinus, Ioannes Aretinus Tortellius, Andreas Dominicus Floccus, Franciscus Contarenus, Ioannes Antonius Campanus, Petrus Candidus December, Blondus Flauius Foroiuliensis, Antoninus Florentinus, Nicolaus Perottus, Aeneas Sylvius, postea dictus Pius II. P. M. Palladius, Fuscus, Franciscus Dietus, Georgius Merula, Iacobus Piccolominaeus, Augustinus Patricius, Christophorus Persona, Iacobus Bracciolinus Poggii filius, Bernardus Iustinianus Leonardi filius, Alexander ab Alexandro, Ioannes Baptista Fulgosus, Julius Pomponius Laetus, Julius Pomponius Sabinus, Bartholomaeus Scala, Antonius Galateus, Marcus Antonius Coccius Sabellicus, Ioannes Baptista Mantuanus, Philippus Beroaldus, Accius Sincerus sive Iacobus Sannazarius, Marcus Musurus, Bartholomaeus Fontius, et cetera caterua, quae seculo XV ad vindicandum literarum honorem surrexit, quos, serius licet, imitata est Gallia, Britannia et Germania. Nemo enim horum ita humaniorem disciplinam tetigit, vt philosophi-

*Ioannes Iouimus
nus Pontanus.*

*Apollinaris
Offredus.*

w) loc. c. L. III. c. 8. p. 614.

x) Vid. CONRING. Intr. in Polit. Arist. p. 649.
THOMAS. de Plagio p. 153. BAYL. Dict. T. I.
Art. Acciaioli not. B.

y) Hist. Ludicr. L. XV. c. 5.

z) Jugemens des Savans T. II. P. I. p. 95. conf.
BLOVNT. p. 500. THEISSIER Eloges T. I. p. 178.
Iovivs Elog. c. 47. p. 109.
a) GHILINI Theatr. vir. erud. MORHOF. Po-
lyhist. T. II. L. I. c. II. p. 56.

sophiam prorsus negligeret, eamque ex ipsis Aristotelis, et interpretum Graecorum fontibus discere nollet. Quo labore eo facilius defuncti sunt, quo meliorem Graecae linguae, et antiquae historiae, etiam philosophiae, ex lectione veterum auctorum comparatae habebant notitiam, sine qua in explicando Aristotele frustra desudatur. Verum de his prolixius agere, nec locus et instituti ratio, nec ipsum rei argumentum patitur, quod ad vniuersalem literarum renascentium, praecipue elegantiorum et humanitatis disciplinarum historiam pertinet. In quem campum egredi prolixius, esset extra oleas vagari, moramque in tam longo, quod suscepimus itinere, sine necessitate, necesse. Facile plura dissent, qui haec nosse cupiunt, ex notissimis, quae historiam literariam huius seculi expllicant monumentis.

*Laurentius
Valla.*

§. XIV. Eximendi tamen ex hoc agmine, quos sicco praeterire pende licuit, eruditorum, qui de restaurandis literis meruere, Laurentius Valla et Rudolphus Agricola, eo quod scholasticomastigas se praefiterunt, horumque philosophorum barbariem, futilitatem, inanes garitus, et pseudo-philosophiam omnem fortiter exagitarunt, quamvis in purgando potius Augiae stabulo, quam instruendo novo philosophiae palatio fuerint felices. **LAVRENTIVS VALLA** patricius Romanus, theologiae doctor et canonicus S. Ioannis Lateranensis fuit, natus anno clCCCCXV, denatus quinquagenarius clCCCCLXV, Cal. Aug. vt est in epitaphio, quod extat apud F.R. FABRICIVM^c. Vnde errasse censendus est **TRITHEMIVS**^d, qui bunc grammaticorum principem, philosophum, rhetorem et theologum praeflantissimum, ingenio subtilem, acrem et vehementem, Latinam eloquentiam Graecae praferentem claruisse in concilio Constantiensi personaliter, scripsit. Anno enim clCCCCXIV, quo coepit illud concilium, Valla nondum natus fuit. Hunc dum sequitur **C O N R. GESNERVS**^e non iniquam incurrit censuram P. BAYLE^f, venia tamen dignus, quod a Trithemio seductus sine dubio verum Vallae natalem ignorauerit. Hunc infelicium literatorum exemplum recte dixeris. Cum enim ingenio esset acerimus, stilo vero audax et acerbis, magnoque animo in temporum suorum barbariem insurgeret, eo quod orationem ipse literaturam didicisset, et scriptis quoque spargere cuperet, nulli vel aetati vel conditioni hominum parcens, omnes, quotquot ipsi displicuerant, infectatus est, et imprimis maiori, quam ferre poterat illa aetas, libertate, cleri vitia, ignorantiam, barbariem, scelera fugillauit, adeo ut nec Romanae curiae parceret, auderetque Constantini M. donationem in dubium vocare. Quo piaculo commisso, Roma excedere coactus est. Exilii tamen locum et asylum inuenit exoptatissimum apud Alphonsum V. Aragoniae, Neapolis et Siciliae regem, principem doctrinae doctorumque

viro.

b) Imprimis consulenda **FABRICII** Bibliotheca mediae Latinitatis, qui plerosque nominat, ex quibus de horum herorum in literis historia literaria, plura hauriri possunt.

c) In Roma p. 183.

d) De S.E. c. 750. p. 174.

e) In Bibliotheca p. 477.

f) Dict. T. IV. art. Valla, not. A. p. 418.

virorum amantem, qui quinquagenarius a Valla Latinam linguam didicit. In hac aula cum commode satis viuere posset, linguae petulantia et calami acerbitate, contradicendique pruritu nouas sibi inimicitias conflauit, cum viuendi differendique prudentia destitueretur. Cuius exemplum esse potest, quod negando symbolum apostolicum a legatis Christi collectum esse, idque pertinacius defendendo falseque communem traditionem rideo, inquisitorum attentionem irasque in se concitauerit; quibus factum, ut heterodoxiae accusaretur, et inter alia culparetur, quod de praedicationis alter statueret, quam solet catholica ecclesia. Quamuis autem catholice se sentire de omnibus, quae ecclesiae Romanae placent, haud semel declararet, exacerbata tamen monachorum ira sedari non potuit, ut non damnaretur, vixque rogum Alphonsi regis patrocinio et Vernandi Cordubensis, quo amico vtebatur, cura precibusque euasit; ad palinodiam vero adactus scopis in monasterio fratum Iacobitarum, qui ex Dominici familia erant, caesus est. Quamuis, ut ingenue, quid nobis verisimile videatur, dicamus, vix credibile sit, in tanta regis gratia, qua is fruebatur, publicum supplicium virum ecclesiastica dignitate fruentem pertulisse, nec inepta sit suspicio, Poggium, qui primus ista narravit, ex ingenio, ut Vallae more suo contumeliam attraheret, haec confinxisse^f. Fieri tamen potuit, ut intra priuatos claustrum parietes eiusmodi fustigationem a manibus inquisitorum passus sit; quae enim horum hominum violentia fuerit, abunde notum existimamus. Cautius itaque mercari edocitus Valla, pontificis Romani gratiam aucupari constituit, eo euentu, ut amicorum ope reconciliatus summo episcopo secretarii, quem vocant munere, stipendioque augeretur, data simul potestate publice legendi. Quo in munere tandem decepsit eo anno, quem supra diximus. Quanta is felicitate et accuratione barbariem sermonis profligauerit, (qua simul philosophiae barbariem pelli posse recte viri docti illius aetatis statuebant) hoc loco prolix exponi nec potest, nec debet, dabuntque affatim, qui historiam criticam Latinae Linguae exhibit, vel iudicia auctorum de Valla suppeditant^g. Vnus ERASMVS^h, omnium instar erit, faslus, eum *summa industria, summo studio, summis sudoribus barbarorum ineptias refellisse*, literas pene sepultas ab interitu vindicauisse, prisco eloquentiae splendori reddidisse Italianam, doctis etiam id praestitisse, ut posthac *circumspetius loqui cogantur*. Fatendum tamen, desiderasse interdum viros doctos in scriptis eius historicis illas elegantias sermonis, quas ipse integro commentario commendauerat. Graecorum quoque librorum versiones (inter quas NICEPHORI BLEMIDIÆ *Epitomen physicae* fuisse, auctori suo surreptam, alibi diximus) parum accurationis cognitionisque linguae

Grae-

^f) Ita fuse rem narrat BOXHORNIVS Histor. vniu. p. 953. ex quo repetit BAYLE l. c. not. E, qui recte illum notat, quod testem non adduxerit.

^g) POPE-BLOVNT p. 463 seqq.

^h) Epist. L. VII. 7.

ⁱ) IOVIVS Elog. c. 13.

Graecae prae se ferunt^k. Ut taceamus, mores intolerabiles^l, et acerbitudinem in quoscunque viros doctos etiam magni nominis, cum veteres, ipsumque eloquentiae Latinae parentem Ciceronem, et in philosophia Aristotelem^{*}, tum recentiores, Bartholomaeum Facium, Antonium Paracelsitanum, Benedictum Morandum, Antonium Raudensem, et praecepit Franciscum Poggium, famam et eruditionem eius valde conspurcasse, animique impotentiam, spiritu contradictorio se prodentem, ostendisse, nec aliis forte fons fuit, ex quo inuestiuas in barbariem Scholasticam hausit: quas contra ipsum Christum impudenter dispersisse non nulli volunt^m. Id quod tamen aduersariorum magis accusationeⁿ, quam rei veritate niti videtur, ut omnis illa, quae de eius atheismo agitatur quaestio^o. Hinc de illo viuis erepto hoc passim disseminatum epitaphium^p:

Nunc postquam manus defunctus Valla petiuit,

Non audet Pluto verba Latina loqui.

Iuppiter hunc coeli dignatus parte fuisse,

Censorem linguae sed timet esse suae.

Quam inimici alicuius (Poggium non nemo^q auctorem suspicatur fuisse) satyram esse, quilibet videt. Non vero soli linguae Latinae puritati acerrimum se Aristarchum Valla praestitit, sed quo nomine eum quoque hoc loco commemorauimus, philosophiae vindex esse voluit. Inter scripta enim Vallae a W H A R T O N O^r, et accuratius, ab O V D I N O^s recentita, sunt quoque libri tres *de dialektica*, in quibus Scholasticorum dialekticam probe depexit, tritamque dialekticae viam ab Aristotele institutam relinquere conatus est. Quod occasionem dedit Iacobo Carpenterio obiiciendi Petro Ramo, multa eum ex Valla fuisse mutuatum^t. Ita v. g. reiecta praedicamentorum decade, triadem tantum inducit, tertiamque syllogismi figuram explodit^u. In quo labore felicior fuit in tangendis, quam sanandis Dialecticorum ulceribus. Vnde V I V E S^v: *Laurentius Valla aggressus est reconcinnationem facere Dialecticae, in qua dissentit ab Aristotele, et Peripateticis veteribus ac nouis. Monet in quibusdam neutiquam praeue, et si ea sunt perpaucata et in plerisque labitur, ut fuit vir ille vobemens, et ad faciendum iudicium praecipitatus. Non solum in re dialektica falsus est, sed in philosophia, nam hanc quoque attingit, et quod magis mirere, in praceptoribus Latinae linguae. Sed non minus illic improbando aberravit, quam in elegantiis et inuestiis. Praeter diale-*

^k) HERTIVS de clar. interpret. p. 211.

^l) Conf. IO. IOVIAN. PONTANVS de Serm. L. IV. c. 6.

^m) VOSSIUS de Nat. et confit. rhetor. p. 48.

ⁿ) Ibid.

^o) Conf. BAYLE not. I.

^o) Vid. REIMMANN. Hist. Ath. S. III. c. 3. §. 17. p. 350.

^p) Id iam apud Wimpelingium, Trithemium et Paulum Langium occurserat CLHEV-

MANNVS A. phil. Vol. III. p. 968.

^q) Memoires de literature T. II. P. I. p. 50.

^r) Ad Cœcum p. 99.

^s) De S. E. T. III. p. 2240.

^t) HORNIUS Hist. philos. L. VI. c. II. p. 320.

^u) Tantum fibi tribuisse Vallam, ut palam dicaret nullam esse Logicam praeter Laurentianam,

PONTANVS loc. cit. referat.

^v) De causs. corr. art. L. III. p. m. 130.

dialecticam moralem quoque philosophiae partem tetigit, editis libris tribus de voluptate et vero bono, in quibus ad Epicuri hortos transiit, non sine magna famae suae contumelia. Indici enim expurgatorio adscriptus liber est opusque habuit, quod GESNERVS² scribit, *edita Apologia pro se et contra calumniatores, defendere se suaque scripta, et praecipue quod voluptatem statuerit summum bonum, virtutes ancillas esse voluptatis, prudentiam non a malitia, nihil amari propter aliud, nec propter se, praescientiam non obstat arbitrii libertati.* Quod postremum in tractatu de libero arbitrio Boëthio opposuisse obseruauit vir summus, G. G. LEIBNITIUS². Ex dictis autem manifestum est, non defuisse quidem Vallae animum a Scholasticorum via recedendi, eamque damnandi, ausum quoque fuisse, aliam et meliorem dare, viribus tamen imparem se demonstrasse, et conatui euentum non respondisse. Plura de Valla, quae hoc non pertinent, dabunt P. BAYLE², MART. HANCKIVS², THOMAS POPE-BLOVNT², aliique.

§. XV. Quod tot viri docti in Italia praefliterunt, id suscipiens
dum sibi in Germania ratus est RODOLPHVS AGRICOLA, quem
primum philosophiae et literarum elegantiorum inter Germanos refor-
matorem fuisse, recte dixeris. Natus est ex nobili inter Frisios familia
in pago Bafflou prope Groningam anno M CCCXLII. In ipsa infan-
tia paeclari ingenii specimina cum dedisset, facile in ludo literario com-
militones etiam aetate maiores, discendo paeccurrit. Magna alacritate
in primo studiorum studio vpus, cum in rudimentis literarum abunde pro-
fecisset, in bonarum artium emporium, quod Louanii est, missus est.
Ibi ex more seculi Aristotelicam dialecticam, qualem scholastica diligen-
tia tradebat, didicit, et a paeceptoribus dicta non auribus modo percep-
pit et animo, sed in aduersaria quoque retulit, vt firmius inhaererent
memoriae. Cum autem purioris sermonis Latini nitorem ab Italibz resti-
tutum meliora ingenia nonnulla inter Belgas quoque deamare coepissent,
squalorem sui temporis perofus, Cicerone et Quintiliano, dicendi magi-
stris vpus est, quodque reliquum erat temporis, a philosophicis exercita-
tionibus, eloquentiae studio tribuit. Ut autem animum in dialecticis
exerceret, scholasticis quoque disputationibus diligenter vacauit, laudatus
admodum, quod et accurate et acriter, et summa arte, in quaestioneibus
propónendis enucleandisque, item sedato animo et ore verecundo fuerit
verfatus. Cumque iam tum multa ipsi de Scholastica philosophia subna-
scerentur dubia, eorum labyrinthis exponendis haud raro paeceptoribus

Rudolphus
Agricola.

y) In Biblioth. p. 478.

z) Theodicée p. 605.

a) Loc. cit.
b) Dr. B.

b) De Rom. Rer. Script. L. II. P. I. c. II. p. 116.
6) Cens. Gal. Aufst. p. 162.

d) Videndi de celeberrimis

ADAMI Vit. philos. P. III. 12.

ADAM VIT. pallor. p. m. 13. BAYLE Dict. T. I.

art. Agricola p. 102. Vitae professorum Groeningium BENTHEM. Stat. Eccles. et Scholast. Patavorum P. II. c. 4. §. p. 187. TRITHIMIVS CAS. S. E. c. 170. p. 206. et historiae liter. scriptores plerique, MIRAEVS VAL. ANDRAEAE, HENDREICHIVS, GADDIVS, WHARTONVS, in libris notissimis.

gravis fuit, cum sibi ista eximi petiuerisset. Ita philosophiae, qualis eo tempore regnabat, atque humaniorum disciplinarum praesidiis abunde munitus, summos in philosophia artibusque honores Louanii a praeceptoribus obtinuit, tanta mox hunc honorem sequente nominis fama, ut munera conditiones adipisci potuisset honestissimas, nisi ad maiora et excelsiora adsipirasset. Itaque optimarum artium atque scientiarum cognitioni indies magis acquirendae intentus, et Gallicam linguam didicit, et musices, itemque scribendi, pingendique artificium pernouit, et quaecunque honeste sciri possunt, perquirere fategit, vitam simul iungens honestam et a iuuentutis vitiis, quibus plerumque scholae publicae pollui solent, sibi cauens sedulo. Ita vero studiorum cursu quem Louanii ingressus erat, absoluто, ad laudiores eruditioнis diuitias sibi acquirendas iter literarium instituit, et primo quidem in Galliam, deinde in Italiam abiit, quo loco literas Graecorum potissimum exulum opera hoc tempore refloruisse, et a viris eruditissimis magnis conatibus retuocatas cultasque fuisse, in antecedentibus diximus. Commoratus autem Ferrariae vno atque altero anno, nimirum ab CCCCLXXVI et sequenti, et ducis Herculis Estienis gratia, et literatorum, ipsarumque literarum frequentia gauisus est. Maxime vero ibi Thedorum Gazam, Aristotelis scripta, alia, quam solebant Scholastici via enarrantem audiuit, et in dissertationibus atque orationibus habendis adeo excelluit, ut fastidenti Italiae et eruditum sermonis genus, et actionis venustas in homine Germano placeret. Strozze quoque atque Guarini amicitia vsus, abunde ex eruditione eorum in philosophia profecit. Ita spoliis Italiae onustus in patriam rediit, in qua amplum munus et stipendum (quod et Nouiomagi factum) parabatur. Sed cum literis in otio viuere mallet, negotiorum publicorum strepitum auersatus est. Vsa tamen eius consilio patria est, eum enim ad aulam Maximiliani I. alegauit, maiori apud imperatorem felicitate, quam grato a ciuibus exhilaratum animo. Neque tamen summorum virorum, quam in aula imperatoris contraxerat, amicitia compelli potuit, ut in familiam aulicam, laudissimis conditionibus et stipendio honestissimo inuitatus transiret, metuens fore, ne in illo aulae tumultu detrimentum Musae suae paterentur. Vnde nec Antwerpiae oblatum accepit munus, scholaeque gubernationem, maluitque sibi viuere suoque genio. Frequenter enim loca mutabat, gaudebatque itineribus, in quibus tamen tanta illi inerat studiorum contentio, ut Plinii senioris historiam, et iunioris epistolas nunquam e manibus dimitteret, Quintiliani institutiones a se descriptas assidue manibus versaret, Platonisque et Ciceronis excerpta quaedam semper secum haberet. Hac enim portatili bibliotheca in itineribus vtebatur, reliqua supellecstile libraria apud amicos relicta. Tandem fama eruditioнis eius in aulam Palatinam ab episcopo Wormatiensi Ioanne Camerario Dalburgio anno ab CCCCLXXXII, vel ut alii volunt, ab CCCCLXXXIV, delata,

a viro

e) DE MONNOYE apud BAYLE loc. c. not. D. p. 102.

a viro promouendarum literarum cupidissimo ^f, qui eum in Graecis praceptorum habuerat, ad humanitatis disciplinam Heidelbergae docendam vocatus est. Quae vocatio displicebat quidem initio homini, suo potius quam aliorum arbitrio viuere gestienti, morem tamen tanto literarum patrino gescit, et ad eum concedens Heidelbergae in aedibus Theodorici Pheneri ^g, viri erudit et nobilis liberaliter habitus vixit; ab ipso Palatino electore Philippo clementer exceptus. Ibi electoris iussu librum *de quatuor monarchiis conscripsit* ^h, eo euentu, ut ab omnibus labor iste probaretur. Apud Vangiones quoque publice docuit in frequenti auditorio; quo tamen in loco ingrato labore Rudolphus perfunctus est, eo quod scholasticas modo dapes more istius temporis auditores affectabant, hisque cauillationibus intenti humanitatis studia, quibus ille vehementer delectabatur, negligebant. Emendare itaque literarum sensum, et ad meliora admittenda praeparare animos auditorum summa ope connisus est, habuitque orationes praeclaras, non ad iuuentutem modo studiosam, sed ad summos quoque rerum publicarum principes. Disputando vero et iudicium aciem, et eruditionis copiam et disciplinae elegantiam demonstrauit, ipsoque Aristotele consulto, accuratius de Peripatetica disciplina statuere Germanos docuit ⁱ: adeo ut praceptoris instar ab aliis consulteretur. Rari quippe tunc erant codices Aristotelis in Germania, et in paucorum manibus; quos, maxime eum, qui de animalibus agit, cum ipse in Italia sibi acquisiuit, gratissimum fuit philosophantibus, de intimiori Stagirite sensu ex ipso Aristotele erudiri. Ita vero tum in philosophia, tum in iure ecclesiastico et ciuili oraculi instar, quod consulteretur, habitus est, et responsiones non barbaro inutilium tricarum squalore obduxit, sed humanitatis elegantia ornauit, et quasi conduxit. Annos iam XL natus linguam Hebraicam a Iudeo quodam discere aggressus est, quae primum ei plurimum negotii, ut ipse fassus est, exhibuit, sic ut sibi videretur cum Antaeo luctari, quas tamen difficultates, isto praceptorre praeceunte, paucis mensibus superauit. Hunc Iudeum folius Rudolphi caufsa Dalburgium domi suae aliis testatur **VALERIVS ANDREAS** ^k. Rechte tamen obseruatum **P. BAYLE** ^l, nimium esse **VOSSIUM** ^m, affirmantem, Agricolam fuisse Hebraice doctissimum. Quamuis enim praecepta linguae huius fatis accurate teneret, patet tamen ex epistola quadam Agricolae ad Ioannem Reuchlinum data ⁿ, ultra mediocritatem eius cognitionem non

E 3

profes-

^f) De literatissimo hoc episcopo magnoque eruditorum inter Germanos Moeценare vid. **Io. Henr. Maii** Vita Reuchlini p. 189. **Nic. Hier. Gundlingii** Obseru. scil. p. 19. 21. Erat autem Cancellarius Electoris, antequam episcopali sedi esset admotus.

^g) **ADAMI** I.c. Plenningium vocat, **SECKENDORE**, Histor. Lutheranismi L. I. §. 70. p. 107. Ipse in epistolis ad Reuchlinum se vocat Theodoricum de Plenningem. D. et militem auratum p.

^m) 20. Eum Agricola nominabat in epistolis Plinius suum.

^h) Vid. **Vossius** de Hist. Lat. L. III.c. 6.p. 566.

ⁱ) Id in dogmate de animae immortalitate luculentem ostendit, demonstrans ex Aristotele, intellectum diuinum, immortalem extrinsecus aduenire, vid. **ADAMI** I. c.

^k) Bibl. Belg. p. 798.

^l) Loc. cit. not. E.

^m) Loc. cit.

ⁿ) p. m. 54.

profecisse. Habuit tamen ex hoc linguae sanctae studio illam utilitatem, ut sacrarum doctrinarum desiderio flagrans purioris lucis radiis collustraretur, et ad pietatem laudatissimis accenderetur igniculis, quibus egregie instructus corruptelas ecclesiae tum regnantes inspexit. Anno clo CCCCLXXXV febri correptus, prius, quam medicorum auxilia aduocarentur, inter pias preces et constantem Christianae professionis fiduciam animam creatori reddidit, in habitu Franciscano sepultus. Vxorem nunquam duxit, auersus, ut ipse ad Reuchlinum scripsit^o, ab eo consilio, non incommidis rei uxoriae, quae multi κανότεχνοι multis verbis prosecuti sunt; sed deterruit eum potius genus vitae et animus leuissimis etiam curis impar, καὶ Φιλίου χρονί τῆς Φύσεως σε ἡγε μᾶλλον ἀπεγγυούντη καὶ ὡς ἀληθέρων εἰπεῖν βαθεῖά τις φαθυμία τῇ βίᾳ. Quod specimen esse potest, voluptatis honestioris curam inter impedimenta matrimonii interdum debere referri. Habuit amicos, praeter Wormatiensem episcopum, Adolphum quoque Occonem I. episcopi Augustani medicum, quem bibliothecae suae haeredem scripsit, ut alibi^p memorauimus; tum Wesselum Gansfortium, quo iuuenis vsus est, Rudolphum, Langium, Alexandrum Hegium, Ioannem Reuchlinum, aliasque resurgentis inter Germanos eruditio[n]is vindices. Quorum amicitiam ei comparavit eruditio sui temporis indeole inter Germanos longe maior, mascula et singularis, qua praeter musicam, poësin, eloquentiam linguaeque Graecae et Latinae peritiam in philosophia quoque excellebat, hacque doctrinae praestantia virorum doctissimorum elogia merebatur. Quae cum collecta exhibeant THOMAS POPE - BLOVNT^q, et G. I. VOSSIUS^r, hoc loco, ne nimis simus, non exscribimus. Vnius ERASMI iudicium sufficit, ita de Agricola differentis: *Quem ego virum, totius cum Germaniae tum Italiae publico summoque honore nomino; illius, quae generit; huius, quae literis optimis instituerit. Nihil enim unquam hoc Cisalpinus orbis produxit omnibus literariis dotibus absolutius, absit inuidia dicto. Nulla erat honesta disciplina, in qua vir ille non poterat cum summis artificibus contendere. Incarmine Maronem alterum dixisset: inter Graecos Graecissimus; inter Latinos Latinissimus. In oratione Politianum quandam lepore referebat, maiestate superabat. Oratio vel extemporalis adeo pura, adeo germana, ut non Frisium quandam, sed urbis Romanae vernaculum loqui contenderet. Eloquentiae tam absolutae parem adiunxerat eruditio[n]em, Philosophiae mysteria omnia penetrauerat. Nulla pars musices, quam non exactissime calleret. Extremo vitae tempore ad literas Hebraicas a scripturas diuinas totum animum applicuerat. Atque haec conantem factorum inuidia virum terris eripuit, nondum annos natum XL (rectius XLIV.) Ex dictis vero liquet, non ob literarum tantum humaniorum vindicatum inter Germanos restitutumque honorem, verum etiam ob*

^{o)} Loc. cit. p. 55.^{p)} In Historia vitae Occonum c. 1.^{q)} Cens. p. 479.^{r)} Loc. cit.^{s)} Chiliad. Adag. Cent. IV. p. 415. Edit. Froben. in Veneta enim Manutii ita deleta sunt.

philosophiam a barbarie Scholasticorum affertam Agricolam immortale nomen meruisse. Extat eius exemplum inter scripta illius ab ALARDO¹ edita libri *de dialektica inuentione*, iuxta genuina Aristotelis principia scripti; qui quamvis Augustei seculi nitorem non referant, vt doctissimo MONETA E² obseruatum, et ordinis tamen dictio[n]isque perspicuitate et raciocinandi accuratione scholasticas nugas infinitis parasangis fuperant. Vnde RAMVS³ pronunciauit: *Rodolphum Agricolam primum omnium post beata Graeciae et Italiae tempora eximium illum Logicae facultatis usum reuocauisse*, ut iuuentus a Poëtis et Oratoribus disceret non solum pure loqui et ornate dicere, sed de propositis rebus acute cogitare, prudenterque iudicare.

§. XVI. Chrysoloram, hominem Graecum inter primos fuisse, qui soporem Occidentis partibus excusserunt, et ad resumendas in literis elegantioribus vires excitarunt, supra diximus; huncque dilapsis Constantiopolis a Turcis capta Graecis exemplum fuisse, ad Italos aufugiendi, et doctrinae spolia secum allata vendendi ostendimus. Horum itaque Graecorum opera in restituendo philosophiae nitore iam porro consideranda est. Inter eos primus fere nominandus est IOANNES ARGYROPLVS, Constantinopolitanus, cuius exilium Mediceae familie benevolentia lenuerat⁴. Cum enim fugatis Musis Graecis in Florentina vrbe appulisset, a Cosmo Medice benigne exceptus, et ob egregiam literarum Graecarum atque philosophiae peritiam institutioni literariae Petri filii atque Laurentii nepotis fatis lauto stipendio praefectus est, qua occasione Graecas literas et philosophiam ab eo didicit, quicquid tantis eruditio[n]is statribus fauentibus ad meliorem disciplinam adspirabat. Hinc in philosophia discipulum quoque habuit Angelum Politianum, vt ipse POLITIANVS scribit, et vix adhuc puberem Laurentium dialekticis imbuit, eaque philosophiae parte, qua de moribus praecipitur. Qui et sapientiam eius decretorum, disciplinarumque cunctarum, quae encycliae vocantur, extollit. His Mediceae familie fauoribus adiutus, ad vertendos Aristotelis libros physicos et ethicos animum adiplicuit, quod saxum cum similiter volueret Theodorus Gaza, eam, quam ipse suscep[er]at, versionem igni tradidisse dicitur, ne Argyropylo obeset. Valde vero nationis suaem moribus depravatus fuit; non inuidus modo et difficilis in communicanda cum Latinis doctrina sua, sed et ineptus Ciceronis contemtor, quem et philosophiae et literarum Graecarum ignorarum fuisse pertinaciter contendit⁵. Neque vita satis philosophum egisse, IOVIVS⁶ aliquae auctores sunt; qui testantur, vini et cibiaeque auidum et capacem, et multo abdome[n]e ventricosum

Graecorum in
restituenda
philosophia
apud Latino[s]
partes.

Iohannes Argyropylus.

immo-

¹ Colon. 1539. II. Vol. 4.

² Apud BAYLE I. c. not. N.

³ Or. de coniungenda eloquentia cum philosophia.

⁴ Vid. BULLART. Acad. Scient. T. I. p. 269.

NIC. COMN. PAPADOPOLI Hist. Gymn. Patav.

T. II. p. 179 seqq. IOVIVS Elog. c. 37. BAYLE

Disq. T. I. Art. Argyropule p. 308.

⁵ Miscell. Cent. I. c. I.

⁶ Ibid. loc. cit. b) loc. cit.

immodico melopeponum vsu autumnalem sibi accersiuisse febrem, atque ita septuagesimo aetatis anno (MCCCCLXXXVI) rebus humanis erexitum esse. Factum id Romae, quo se, vastante Hetruriam peste, anno MCCCCLXXX verterat, a pontifice philosophiam Aristotelis primus publico stipendio docere iussus. Inter interpres Aristotelis haud obscurum nomen professus est; scripti etiam praeter versiones laudatas *Commentarium in Ethicam Aristotelis, et Solutiones quaestionum, quas proposuerunt philosophi et medici quidam ex Cypro insula*, de quibus aliisque eius scriptis videndi *Vossius^c, Lambecius^d, Fabricius^e, Ovidius^f aliquie*, qui res eius tetigerunt. Huius potissimum auctoritate, qua in domo Medicea, posteaque Romae, valebat, eius conterranei quoque excitati sunt, ut Graecam literaturam et philosophiam domi excultam, Italos explicarent. Non enim in solis literis Graecis tradendis haeserunt, et philosophiam neglexerunt, quod illi Graeci fecerunt, qui ex Graecia profugi ad Parisiensis Musas diuerterunt, Georgius Typhernas, Georgius Hermonymus, siue Charitonius, Tranquillus Andronicus et Ioannes Lascaris^g, quos inuidia professorum Parisiensium impediuisse videtur, quo minus emendandae philosophiae fortem satis et audacem manum admouerent, quod Iacobum Fabrum Stapulensem primum in Gallia suscepisse, in sequentibus dicemus. Graeci autem, qui in Italia confederunt, cum philosophiae Graecanicae honorem haberi cernerent, magnis conatibus in philosophiam incubuerunt. Idque duplice ratione factum est. Quidam enim, qui domi in monasteriis Platonicas philosophiam didicerant, qualis ex Ammonii et Plotini schola per Origenis discipulos ad Graecos Christianos peruererat, idem syncretistiae philosophiae genus omnibus viribus commendare vulgareque contenterunt. Qui cum Mediceam gentem sibi fauentissimam experti essent, cum illam in partes pertraxerunt, tum ex familiae huius alumnis, Marsilium Ficinum et Ioannem Picum comitem Mirandulanum ad Platonicae philosophiae, (quam Alexandrinam vel Ammoniam melius dici, et syncretistam fuisse, suo loco docuimus) amorem studiumque perduxerunt, in quorum numero post Georgium Gemistum Plethonem, Bessario Cardinalis et Michaël Apostoli eminuerunt. Alii autem Aristotelem in aula Byzantina cultum suo inter Italos nitoris restituendum esse rati, eius libris explicandis illustrandisque insudandum, et pro eius auctoritate decertandum sibi esse statuerunt, id quod bellum aliquod excitauit philosophicum. Et haec quidem fata philosophiae in altera seculi XV parte in Italia fuere, quae iam porro nobis accurate enarranda sunt.

CAPVT

c) De Hist. Graec. L. IV. c. 19. p. 493.

d) De Biblioth. Vindobon. L. VI. p. 278.

e) Bibl. Graec. Vol. X. p. 278.

f) De Scrip. Eccl. T. III. p. 2610.

g) Vid. NAVDAEVUS Addit. ad Hist. Ludov. XI. c. 7.

C A P V T II.

DE RESTAVRATORIBVS PHILOSO-
PHIAE PLATONICAE.

§. I.

Platonicae philosophiae restorationem Graecis in Italia exulan-
tibus debemus. GEORGIVS GEMISTVS enim, qui et
PLETHO dicitur, (quod vtrumque plenitudinem et abun-
dantiam denotat ^a) vir Graecae, imprimis Platonicae, philosophiae peri-
fissimus, primus fuit, qui Alexandrinorum Platonismum, quem nemo fere
inter Latinos, praeter Ioannem Scotum Erigenam, pernouerat, in Italia
produxit in lucem, et occasionem dedit Platonicam sectam resuscitandi
confirmandique. Patria Byzantinus fuit, dies autem natalis incertus est.
Illud ex SYLVESTRIS SGVROPVL testimonia ^b constat, ipsum
duodecim annis ante concilium Florentinum sub Eugenio IV, anno
MCCCCXXXVIII apud Michaëlem Palaeologum Graecorum imperato-
rem et gratiosum et admissionis intimae fuisse, ab illo in magni momenti
negotiis consultum. Dicto autem concilio, cum aliis Graecis, Theodo-
ro Gaza, et Bessarione, cuius ille praeceptor fuit, interfuit, Graecorum
partibus, qui vniōnem cum Latinis auersabantur addictissimus, eo quod
horum artes et potentiam nosset, et reformidaret, ut ex monitis eius ad
imperatorem Graecum a SGVROPVL relatis constat. Vnde errat
FRANCISCVS PAGI, qui neminem ex Graecis in eo concilio vniō-
ni se opposuisse tradit praeter Antonium Heracleensem, Marcum Ephe-
sium, Dositheum Monembasiensem, Sophronium Anchialensem, et in
fine solum Marcum Ephesium. Postea tamen patria pulsus cum necessitas
eum coēgisset ad Latinos confugere, eorum partes amplexus est, easque
scripto contra Manuelem Malaxum libro *de processione Spiritus S.* defen-
dit. In Italiam delatus ob eruditionem prorsus singularem, et imprimis
philosophiam maximi habitus est. Audit enim Antimacho apud L. GY-
RALDV^m, vir, quem non solum Graecia, sed vniuersus fere terrarum

*Georgius Ge-
mistas Pletho.*

^{a)} Gemistus enim a γεμιστός formatur, vnde
perperam a quibusdam Gemistus scribitur, Ple-
tho, απλούστως. Cur vero patrum Gemisti nomen
cum Plethonis appellatione commutauerit, ob-
scurum est. Plerique Georgium Chariandrum
apud L. ALLATIVM de claris Georgiis p. 741.
ed. Fabr. secuti, ideo Plethonem dictum fuisse
volunt, quasi Platonis, eo quod Platonii philo-
sophorum principi maxime accederet: id quod

etiam ab aduersariis velut arrogantiae specimen
illi obiectum est. Non tamen satisficit haec
conjectura Cl. HEVMANNO Act. phil. Vol. II. p.
539. not. c. nec nos certiorem conjecturam ha-
bemus.

^{b)} Hist. Concil. Florent. S. VI. c. 80. cuius lo-
cum integrum exhibet OVIDIUS T. III. p. 2348.
^{c)} Breuiar. gestor. pontific. Roman. P. IV. p. 605.
^{d)} Dial. II. de poēt.

orbis ob variam atque multiplicem diuinarum humanarumque rerum scientiam admiratus est, eo quod Platonii philosophorum principi atque Aristotelii Graecorum et Latinorum omnium consensu proxime accederet. Inde factum, ut cum Platonicam philosophiam restituere conatus esset, magna eius in illa re esset auctoritas, quae in causa fuit, cur difficile de praestantia et utilitate philosophiae Platonicae, eiusque praerogativa praे Aristotelica, controuersiae implicaretur, cuius summam postea enarrabimus. In hac lite acerbum se atque contentiosum praestitit, quare arrogantiae et superbiae crimen ei ab aduersariis obiectum est. Rediisse Constantinopolin nonnulli incerta fide tradunt, illud dubio caret, et ex GEORGII TRAPEZVNTII ^a verbis satis certum est, in Peloponnesum post concilium rediisse, ibique ante captam Constantinopolin, fere centenarium obiisse. Vnde haud improbabilis coniectura est, Plethonem breui, post concilium Florentinum, tempore obiisse. Quo vero anno, incertum, ut recte WHARTONO ^f obseruat, qui enim obitum eius in annum MCCCCXL ponit OVDINVS ^g, testem adduxit nullum, nec ALLATIUS emortualem eius diem notauit. Cum autem magna apud suos viuus inuidia flagrasset, quam ei transitus ad Latinos comparauisse videatur, tantopere in eum furor Graecorum exarsit, ut ne quidem post fata quiescere potuerit. Librum enim eius *de legibus*, in quo imitatus Platonem philosophicam rem publicam fixerat, velut impium atque scandalo plenum, et a Christiana religione non sine blasphemia abhorrentem vtricibus flammis addixit Georgius Scholarius, vel, quo nomine etiam venire solet, Gennadius patriarcha Constantinopolitanus. De quibus tamen libri famaeque eius satis quia infra melior dicendi locus erit, heic alia non cumulamus. Inter eruditissimos gentis suae viros, numeratum fuisse, et omnigenae eruditionis laude inclaruisse, negari nequit, quanquam alia omnia nobis persuadet Scholarius eius aduersarius, et crassam ei ignorantiam obiicit. Parum enim ponderis habet Scholarii, ut Manuelis Malaxi, testimonium, quorum vterque cum aduersum inimicum erga Plethonem animum fouerit, eius famae atque existimationi derogare quoquis modo contendit. Aliter Bessario, et qui ipsi eius partibus refragati sunt Trapezuntius et Gaza, eruditionis eius praestantiam libere confessi ^e: quam in eius scriptis quoque a partis studio alieni lubenter agnouerunt ^b. Nec certiores eruditionis eius testes sunt, quam libri ipsius cum historici, tum philosophici, accurate ab ALLATIO a FABRICIO ⁱ aucto, et ab OVDINO ^k recensiti; in quibus late regnat veteris philosophiae Graecae omnis, praecipue Alexandrinae, cognitio, qua in abditissima eius mysteria mire penetrauit; sic ut utilissime eius scripta ad explicandam hanc phioso-

e) De comparat. Plat. et Aristot. L. III. c. penult. conf. ALLATIUS de Georgiis p. 751. BOIVIN Memoires de literature de l'Academie des inscriptions T. II. p. 780.

f) Ad Caeum p. 94.
ff) Loc. cit.

g) Vid. ALLATIUS loc. cit.

h) Vid. AD. OCCHO et HIER. WOLFIUS ad libellum de virtutibus, CANTERVS ad finem Stobaei p. 210.

i) Bibl. Graec. Vol. X. p. 740 seqq.

k) Loc. cit.

Iosophilam adhiberi queant. Neque tamen ab aliarum quoque sectarum doctrina vacuum seruauit animum, sed ubique accuratam eruditionem prae se fert. Leguntur inter scripta eius philosophica *Tra>ctatio de virtutibus*, *Liber de differentia Platonicae et Aristotelicae philosophiae*, *Commentarius in oracula magica Zoroastris* Commentarius in *voces Porphyrii et decem categorias Aristotelis*, *Explicatio in analytica Aristotelis*, *Demonstraciones naturales de Deo, et libri de legibus fragmenta*, de quibus consulendi, qui eius libros enarrarunt¹. In libello *de virtutibus*, quem STOBAEI eclogis physicis² adiecit G. CANTERVS, et separatis edidit ADOLPHVS Occo III. cum versione Latina³, Platoniconum Alexandrinorum vestigia premit, virtutemque definit, esse habitum, quo boni sumus, id est, si sequamur Deum, quantum ab hominibus praestari potest: quatuor autem virtutum classes constituit, prudentiae, iustitiae, fortitudinis et temperantiae, quarum cuilibet tres alias subordinat, ita ut duodecim exsurgent virtutes, pietas, prudentia naturalis, et consilii recti facilitas; sanctitas, prudentia civilis, benignitas; animi facilitas, generositas, mansuetudo; moderatio, liberalitas, morumque elegantia. In *expositione vero oraculorum magicorum Zoroastris*, quam fragmentum esse libri *de legibus*, eleganter coniicit FABRICIVS⁴, duodecim articulos fundamentales religionis Platonicae exhibet, et concinnum praecipuorum dogmatum Alexandrinorum compendium enarrat. Cuius summam cum *Tomo primo*⁵ iam legendam exhibuerimus, ibi dicta hoc loco repete opus haud est. Ex hoc vero Zoroastreae, vel Platonicae magis philosophiae compendio, rerum intelligens, facile cognoscit, Plethonem Ammonii Plotinique scholae tenaciter adhaesisse, nec errores euitauisse, quos illa fouverat. Id quod aduersariis occasionem dedit, de impietate eius querelas grauissimas effundendi. De aliis eius scriptis ad historiam Graecam pertinentibus, historiae eius literariae scriptores videndi.

§. II. Moderatus Platoni adhaesit, et ita pro eius philosophia ab Alexandrinis reformata pugnauit, ut tamen nec Aristotelicam philosophiam contemneret, nec in Christianam doctrinam peccaret, BESSARIO Graecorum exulum, qui seculo XV in Italia confederunt facile doctissimus, cuius res literarias praeter scriptorum ecclesiasticorum et historiae cardinalitiae enarratores⁶, multi alii tetigerunt, qui historiam eruditonis exposuerunt⁷. Panegyrica vero oratione eum laudauit PLATINA. Ut taceamus, qui res ecclesiae seculi XV⁸, et concilii Florentini historiam recensuerunt, quos hoc loco nominare omnes, nihil attinet.

F 2

Bessario.

Fuit

1) LAMBECKVS de Biblioth. Vindob. L. V.
et VII. m) p. 233 seqq.

2) Vid. Nostra historia vitae Occunum. c. III.

o) Loc. cit.

3) LUDOV. DONIVS DATTYCHI Hist. Cardi-

4) BULLART. Acad. Scient. T. I. p. 9. BOIS-
SARD. Imag. T. I. p. 136. FABRIC. Bibl. Graec.
Vol. X. p. 401 seqq.

5) TRITHEMIVS c. 821. p. 195. MIRAEVS

in Augst. c. 459. p. 85. POSSEVINVS Appar. T. I. p.
219. DVEINIVS Nou. Bibl. Eccl. T. XII. p. 122.

Fuit patria Trapezuntinus, discipulus Georgii Gemisti Plethonis, ut supra dictum. Iuuenis ordini sacro, a Basilio instituto nomen addixit, vbi cum doctrinae, ingenii morumque laude valde inclarusfet, tandem circa annum clo^mCCCCXXXVI e monasterio eductus et ad archiepiscopalem sedem ecclesiae Nicaenae euectus est. Tanta autem eruditionis et prudentiae eius fuit apud Manuelem Palaeologum, imperatorem Graecorum, opinio, vt eum reliquis, quos ad concilium Ferrarensi et Florentinum mittere in animo habebat, legatis adiungeret, cum Latinis theologis de vnione inter Graecam et Latinam ecclesiam ineunda consultaturum. Ibi et eruditionem et prudentiam vehementer Latinis probauit, tanta eloquentiae qua valebat, arte, satagens, vt vnionem Graecis persuaderet, vt non erubesceret, *ex libris, quibus maxime fidebant Graeci, argumenta ad Latinos submittere, pia fraude veritati suffragatus, et admonere, quibus viis deberent insisti*, quae verba sunt CARDINALIS PAPIENSIS¹⁾. Qui addit: *Arguisse suos, errorem, quo laborarent, demonstrauisse, ad meliora imperatorem fuisse adhorrorum, eius denique diligentia totam disputationem fuisse finitam, fidemque Graecam Latinae unitam.* Quod vtrum verum sit, quemque exitum habuerit, in sacra ciuitatis Christianae historia enarrandum est, et hoc non pertinet. Illud vnum addimus, magnam inde concertationem exortam fuisse inter Beſſarionem et Marcum Ephesium, qui et ipſe inter legatos fuerat, indeque complures ex vtraque parte enatos fuisse libros, ab iis enumeratos, qui res literarias Beſſarionis exposuerunt. Post redditum Constantinopolin ab imperatore Ioanne patriarcha quidem CPolianus designatus est, valde vero offenderat Graecorum animos, eo quod versipellis homo mollius ideo pedem cum Latinis conseruifle videretur, vt pontificis Romani gratiam aucuparetur, et Latinis palpum obtruderet. Quare vehementer a Graecis increpitus et proditae ecclesiae Graecae accusatus dignitatem patriarchalem obtinere non potuit. Deserta itaque ecclesia Graeca ad Latinos transiit, et in Italiam soluens a pontifice maximo Eugenio IV. et dignitate cardinalitia et diuitiis auctus atque cumulatus est. Successor autem Eugenii Nicolaus V, qui viris doctis valde fauebat, eum episcopum Tuscolanum constituit, simulque legatum Bononiensem; Dominici vero et Francisci fodalitiis protector datus est, et summa auctoritate in aula Romana vixit: sic vt a Pio II. legatus ad imperatorem Fridericum, et rempublicam Venetam mitteretur, vt eis validissima, qua abundabat, eloquentia bellum sacrum aduersus Turcas persuaderet. Cumque patriarchali dignitate apud Constantinopolitanos, suo quidem commodo, excidisset, quia hoc pacto miserabilem vrbis expugnationem et direptionem mature abiens evasit; vt honoris huius reparationem haberet a Paulo II. anno clo^mCCCCLXIII, in Isidori cardinalis titularis patriarchae CP. locum suffectus est, et post Pauli excessum ex hac vita omnium votis ad pontificatum

¹⁾ Epist. 127. apud OVIDIUS. de S. E. T. III. p. 241.

catum supremum expeditus, fatali quodam casu dignitate excidit ^l. A Sexto IV ad Ludouicum XI missus, cum literarum magis, quam aula- rum scientiam haberet, infecta re non sine rubore redire coactus est. Id quod adeo senem affixit, vt in itinere morbo corriperetur, Taurinique decumbens, cum Romam tamen repetere vellet, Rauennae annos natus septuaginta septem, anno cl CCCCLXXII, decederet, Romae in basili- ca S S. Apostolorum sepultus. Romae quidem in aula viuens, non tam- men Romano sed Graeco more vixit, seruata barba, vt ex eius effigie constat, quam exhibet PETR. LAMBECKVS ^m. Valde vero de re- nascentibus literis, et imprimis de philosophia Platonica diuersa ratione meruit. Nam conterraneos Turcarum crudelitate patria pulsos et per Italiam palantes, extorres patria, benebole exceperit, consilio, re, com- mendatione adiuuit, deque muneribus publicis eis prospexit, sive Grae- cam eruditionem inter Italos disseminauit. Romae vero doctissimos sui temporis viros, Georgium Trapezuntium, Theodorum Gazam, Argy- ropylum, Plethonem, Philephum, Blondum, Poggium, Vallam, Cam- panam, Platinam, et qui ipsi a secretis fuit, Nicolaum Perottum secum frequenter habuit: quos et eruditissimis colloquiis pauit, et instructissima bibliotheca adiuuit. Eam ex Graecia aduectam ingentibus sumtibus au- xerat, eique Marcum Antonium Sabellicum, virum maxime doctum pre- fecerat, quam quoque moriens testamento ecclesiae S. Marci apud Vene- tos legauit, de quo legato eius *epistola ad Christophorum Morum, Vene- torum principem* ⁿ videnda. Ea hodie quoque isto in loco inter *μητρια* literaria Venetae reipublicae superbit ^o. Maxime vero elegantissimam eru- ditionem magno librorum theologicorum et philosophicorum quos scripsit, numero demonstravit, quorum tum editorum, tum msc. indicem, cum texu- erint OVDINVS et FABRICIVS ^p, ad eos Lectorem breuitatis caussa ablegamus. Regnat in his scriptis eius philosophicis philosophia Platoni- ca, qualem ad captam urbem CP. inter monachos Graecos obtinuisse in antecedentibus diximus. Quae cum syncretistica esset, Platonique attem- perare vellet Aristotelem, ipse quoque Bessario eandem inire viam cona- tus est. Cumque acerrime Graeci de Platonis et Aristotelis philosophia disputatione, auctoritate et eruditione sua ita vsus est, vt hanc potissimum controuersiam amice dirimere tentaret. Georgio Trapezuntio tamen, vehementer Aristoteli obtrectanti se opposuit, edito *aduersus calumnias*

F 3

^l) Nempe cum plerorumque cardinalium sen-
tentia in Bessario elegendo conspirauisset, qui-
dam eum conuenire cupientes ea de re, a Nicolao
Perotto arcebantur, cauillante, quod studii iam-
jam suis esset intensus. Quo offensi mutatique
cardinalium collegio persuaderunt, ut Franciscum
de la Roueres Sixti IV. nomine eligerent. Eo au-
diito Bessario dixisse fertur: O Perotte, Perotte,
intempestiu tua fedulitas hodie mihi tiaram, tibi
galerum ademit. IOVIVS I. C. MENAGIANA
T. II. p. 136. T. IV. p. 117.

^m) I. c. p. 274. Is 1473 obiisse Trithemium fecu-
tus perperam afferit. Eius vestigia pressit OV-
DINVS loc. cit.

ⁿ) In Epistolis Philologicis a GOLDASTO
editis p. 500. Edidit quoque separatim cum praef.
H. CONRINGIVS Lipf. 1674.

^o) MABILLON Iter Ital. p. 33. MONTFAUCON
Diar. Ital. p. 41. IO. PHIL. THOMASSIN. Cat.
Bibl. Venet. p. 35.

^p) loc. cit. add. WHARTONVS et GERIVS ad
Caueum p. 92.

torem Platonis (nomine enim eum compellare, amicitiae caussa subterfugiebat cardinalis) libro. Illum renouatae Platonicae philosophiae compendium elegans et eruditum recte dixeris, cum pleraque capita scholae Platonicae reformatae et ad sensus Ammonianos et Plotinianos emendatae iucundissima et doctissima tractatione enarret, dignus qui recudatur, cum rario hodie occurrat. Nam licet Trapezuntium, qui vehementer Platoni obtrectauerat, sibi refutandum sumisset, adeoque eundem differendi ordinem, quem ille instituerat, tenuisset, omnem tamen doctrinam Platonica largissima luce perfudit, et huius philosophiae notitiam maxime adiuit. Dedimus alibi^{x)} libri rari, editionisque splendidae, quae prima fuit, recensionem, quam hoc loco non repetimus. Operae tamen pretium est, verbis paucis ostendere, quibus potissimum capitibus Platonicae philosophiae historiae lucem accenderit. Nempe, ut calumnias Trapezuntii retunderet, initio quidem, magnam, quam inter P P. et in ecclesia obtinuit, Platonicae philosophiae auctoritatem exponit, et ignorantiam Platoni obiectam refellendo, de arcana Platonis methodo a Pythagoreis defumta, deque horum facro silentio multa egregie cumulat, et quod inter methodum interiorem et exteriorem discriminem apud veteres intercesserit, explicat. Tum quas potissimum disciplinarum partes Plato tetigerit, ostendit, et quantae eius vires in eloquentia fuerint luculentis exemplis demonstrat, euincitque, in eo studio Platonem Aristoteli praestare. Idem de dialectica manifestum facit, et quam dextre Plato eius artificio usus sit, et Aristoteles eum demum fuerit secutus, probat. De naturali vero Platonis philosophia disputaturus, in eo potissimum est, ut demonstret, nominibus magis quam rei ipsa differre philosophum vtrumque, recte quoque monet, a nemine eorum physicas tractationes intelligi posse, mathecos imperito. In theologia agnoscit cardinalis Dionysii cum Platone consensum, eum vero auctorem genuinum fuisse apostolorum discipulum communis suorum praeiudicio fascinatus statuit. Et ita tandem, quam egregie in mathefi valuerit Plato, explicat, sic ut a peste liberandae patriae occasionem ostensa duplicatione cubi, nactus sit. Neque hoc pacto pro Platonica philosophia satis decertatum esse ratus, Platonem quoque contendit aptius pulchriusque conspirare cum religione Christiana et ad huius confirmationem adhiberi, quam Aristotelem; quamvis nec se Aristoteli in ecclesia recepto male velle, nec probare Platonis omnia, semel iterumque moneat. Qua ratione consensum Platonis cum Christiana religione docere satagit, et de diuinitatis gradibus, de mente, de demiurgo, de numero ternario multa docte congerit, licet candide fateatur, nec Platonem nec Aristotelem ubique cum sacris dogmatibus conciliari posse. Hunc vero deterius de Deo sensisse, et πολυθεότητι multo magis, quam illum fauisse, haud proletariis argumentis ostendit. Maxime vero Aristotelis caussam in dogmate de

rerum

x) Hist. philos. Germanico idiomate scriptae
T. V. p. 1504. Editio prima nascentis typographiae specimen elegans Romae sine mentione anni

prodiit cura Conradi Sweenheim et Arnoldi
Pannartii typographorum, fol. simula manus
M. T. 29 q. II. 2

rerum productione, comparando vtriusque philosophiae placita iugulat: Platonemque Stagiritae vel eo nomine praferendum esse statuit, quod ille animae immortalitatem tradiderit, mundique ortum atque conseruationem a voluntate et bonitate Dei deriuauerit: cum e contrario Aristoteles materiam mundumque aeternitate donauerit. Quo loco subtiliter et acute recentiorum Platonicorum placitis de materiae origine ex Deo vsus, proprius eorum opinionem abesse a cosmogonia Mosaica pronuntiat: Aristotelem autem, mundum non ex non-ente, exque sola demiurgi voluntate deriuauisse doce contra Georgium probat, eo quod Aristoteles in aeternis causam agentem admiserit nullam. Simili ratione de anima disputat, et quis motus eius apud Platonem fit explicat, ostensa Aristotelis de anima, Alexandri et Auerrois opinione de intellectu vniuersali. Qua occasione celebratissimas Platonicorum et Aristotelicorum disputaciones de mundi anima, de loco eius inter intelligibilia, de praeexistentia eius, et transmigratione et similibus fuse tangit, prouidentiamque Dei a Platone assertam, ex Aristotelis vero sententia incertam dubiamque esse ex adductis vtriusque philosophi locis colligit. Fati porro doctrinam contemplaturus Chaldaicum a Platonico differre monet, et non hoc quidem, illud vero libertati animae derogare contendit, Aristotelem de fato obscurum esse monet. Maxime vero prolixa dissertatione principia Platonis physica de ente infinito, finitoque, mobili et immobili, deque rerum elementis exponit, et quae contra Platonem Trapezuntius obiecerat, retundit, frustraque orthodoxus sensus Aristoteli tribui, manifestum facit. Qua occasione doce cardinalis in mentem Aristotelis de serie causarum et connexione mundi cum causa prima inquirit: et quae vitae atque innocentiae morum Platonis obiici solent, discutit. Quae omnia ab historiae philosophicae discendae cupido in ipso Bessarionis libro merentur legi, et cum ipso Platone et Aristotele, et quos Bessario imprimis consulerat, vtriusque interpretibus Alexandro, Themistio, Plotino, Iamblico, Proclo et similibus conferri, qua ratione physiologiae Peripateticae et Platonicae peritus non sine iucunditate intelliget, qua potissimum facie Platonica philosophia seculo XV inter Italos reuixerit, quibusque principiis nutrita fuerit, quae inde enata est, Academia noua. Florentiae, auspiciis Mediceis, parentibus Ficino et Pico adolescens. Sed ut a digressione fatis longa ad propositum reuertamur, factis quoque translationibus veterum philosophorum de philosophiae Graecae restitutione mereri fategit Bessario. Elegantissimum enim XENOPHONTIS librum *de dictis et factis Socratis* Latina ciuitate donavit; quam operam quoque praestitit metaphysicae Theophrasto perperam tributae, itemque libris *metaphysicorum* Aristotelis. Trapezuntium quoque malam edidisse librorum PLATONIS *de legibus* versionem demonstratus, *Correctorium interpretationis librorum Platonis de legibus a Georgio Trapezuntio compositae* vulgavit. Laudat impense hanc cardinalis industriam et dexteritatem in vertendis Graecis

cis philosophis PETRVS DANIEL Huetivs^y, qui eum principem inter Graecos in Italia literarum vindices vocat, iudicatque, si singularem eius in conuertendis Graecis et plane admirabilem industriam fuisse prosecuta posterior aetas, et pari interpretationum salubritate contenta ab intemperanti licentia secesserit, neque linguae Graecae ignaros homines tam saepe in errorem illecturum fuisse interpretum perfidiam, neque nobis in eiusmodi libertate coercenda, et apertissima re argumentis et exemplis demonstranda nunc futurum laborandum. Fatetur autem, parum accurate nobis hoc Huetii iudicium videri, ex ipsis Bessarionis interpretationibus edocti, verborum eum quidem proprietatem respexisse, attentum autem ad Graeci sermonis significationem, de Latinae dictio[n]is perspicuitate parum fuisse sollicitum, adeoque ineluctabili haud raro obscuritate laborare. Quod ne in tanta viri summi, quam nactus est, auctoritate confidenter nimis dixisse videamus, in fine paginae luculentum exemplum adducimus^z. Delitescunt etiam inter codices msc. varia scripta Bessarionis luce haud indigna, et inter ea, *Quæstiones metaphysicae ex philosophia Platonica, ad Georgium Gemistum Plethonem*, de quibus aliisque eius opusculis ineditis consulendus est, qui diligenter ea recenset CASIMIRVS OVDINVS *.

*Medicea fa-
milia Platoni-
ci patrocina-
ta.*

§. III. Platonica philosophia Plethonis studio Florentiae introducta maximo Mediceae gentis patrocinio gauisa est. Cum enim Cosmus, Pe[n]tri parens, et Laurentii auus valde illius admiratione esset captus, hunc que filius atque nepos imitarentur, dici non potest, quanto in hanc philosophiam studio eruditu[m] nonnulli incubuerint. Inde enata noua illa Platonicae disciplinae academia est, quae auspiciis Mediceis seculo XV laetissime floruit. Dignus ea de re est, qui audiatur FICINV^s **, eo quod renascentis inter Florentinos Platonismi originem et progressum luculenter enaret. Is ita de hac re differit: *Magnus Cosmus senatus consulto patriae pater, quo tempore concilium inter Graecos atque Latinos sub Eugenio pontifice Florentiae tractabatur, philosophum Graecum, nomine Gemistum, cognomine Plethonem, quasi Platonem alterum, de mysteriis Platonicis disputantem, frequenter audiuit. E cuius ore feruenti sic est afflatus protinus, sic animatus, ut inde Academiam quandam altamente conceperit, hanc opportuno primum tempore pariturus. Deinde cum conceptum tantum magnus ille Medices quodammodo parturiret, me ele[ctissimi] medici sui Ficini filium adhuc puerum tanto operi destinavit, ad hoc ipsum educavit indies; operam praeterea dedit, ut omnes non solum*

y) De claris interpret. p. m. 293.

z) Deditus superiori Tomo inconditae versionis Averrois exemplum ex Metaphys. L. I. c. 6. Hunc vero locum ita vertit Bessario: „Post dictas philosophias disciplinae Platonis superuenit, in plerisque quidem istas fecuta, quaedam autem etiam propria ultra italicorum habens philosophiam. Cum Cratyllo enim ex recenti conuersatus, et

„Heracliti opinionibus assuetus tanquam omnibus sensibilibus semper defluentibus, et de eis non existente scientia, haec quidem etiam postea ita arbitratus est“. Haec an vel Graecum textum exhaustant, vel Latine satis et perspicue dicta sint; Lector iudicet.

*) Loc. cit.

**) Praef. in versionem Plotini.

solum Platonis sed etiam Plotini libros Graecos haberem. In hac academia complatonicum, vt ait, habuit Picum Mirandulanum et Philippum Valorem, quem alio loco ^a vehementer Laurentio commendat, eumque a Platonico honore laudari affirmat, dignumque habuit, quem ad Matthiam Coruinum, Hungariae regem ^b, ipse expeditus ^c alegaret. Ipse tamen MARSILIVS FICINVS primum in hac academia Platonica locum obtinuit, qui cum inter celeberrimos, qui has partes fecuti sunt, philosophos numerari meruerit, paulo pleniorem hoc loco vitae historiam postulat. Quam cum scripserit Dominicus Mellinus, dolendum admidum est, quod I V L I I N I G R I testimonio ^d scimus, nihil eius esse editum. Egregiam itaque praestantissimus Io. GEORGIVS SCHELHORNIVS, multis elegantissime eruditionis speciminibus memorabilis, quem honoris et amicitiae causa nominamus, operam posuisse recte iudicatus est, quod tantae famae philosophi vitam plenius enarrauerit. Ad quem breuitatis causa eo magis prouocare licebit, quo magis in omnium, qui literarum ornamenta amant, manibus sunt *amoenitates eius literariae* ^e. Natus est Ficinus Florentiae anno M CCCC XXXIII, XIII Cal. Nou. patre genitus Medico Cosmi Medices vt ex dedicatione Plotini constat ^f. Eo potissimum tempore editus in lucem, quod ipse sibi gratulatur ^g, quo tanquam seculo aureo *liberales disciplinae ferme iam extinctae, Florentiae quoque in lucem reduxerat*. Suscitauerat tum literarum amorem, et ingentibus praefidiis ornauerat domus Medicea, vt supra dictum, compara per Ioannem Lascarim instructissima bibliotheca, et consilio imprimis capto Platonicam philosophiam resuscitandi. Huic itaque fini obtinendo ^h, cum Platonis et Platoniorum libros Latinis auribus legendos exhibendos esse Cosmus Medices iudicaret, adolescentem quandam indolis erectae et ingenii haud proletarii ad hunc scopum educandum ratus, Marsilium puerum, ei rei destinavit, eo quod intellexisset, affatim dotum ad eam rem necessiarum Ficinum accepisse. Tanto itaque patrono curante fauenteque, sumtusque munifice praebente doctissimorum virorum institutioni traditus et ab iis potissimum in veterum scriptorum, maxime Platonicorum, lectione exercitatus est. Inter has curas et institutionis industriam non tam elegantiorum literarum pulchritudinem, qua parum Ficinus valuit, quam veteris eruditionis et philosophiae cognitionem supra modum Marsilius adolescens adeptus est, lectis, quos Cosmi liberalitas suppeditauerat, Platonis, Plotini, Procli, et Platonicorum aliorum libris. His et theologiae, et, quod pater imprimis vrgebat, medicinae studium iunxit ⁱ, musicam more Pythagoreo et Platonicu non neglexit ^k,

tanta

^{a)} Praef. Vers. Platonis.^{b)} L. III. Epist. p. 76 sq.^{c)} L. VIII. p. 152.^{d)} Hist. Script. Florent. p. 398.^{e)} T. I. p. 18 seqq. Eum fecutus est NICERON.

Memoires des hommes illustres. T. V. p. 214 seqq.

^{f)} Add. Epist. L. IX. p. 162.^{g)} Ibid. L. XI. p. 186.^{h)} Praef. Plotini.ⁱ⁾ Ep. Lib. I. p. 21.^{k)} Ibid. p. 24.Marsilius Fi-
cinus.

tanta animi contentionē, vt temporis parsimoniam ad studia colenda vnicē referret. Factum inde est, vt praecoces ingenii excellentissimi, et industriae incomparabilis fructus referret^l, et ad difficillimos auctores Platonicos vertendos illustrandosque animum applicare posset. Cuius specimen esse potest, quod, vt ipse scribit^m, *Argonautica et hymnos Orphei et Homeris atque Procli, theologiamque Hesiodi adhuc adolescens, sibi soli transtulerit*, et puer fere in Lucretium commentatus fuerit: quas tamen ingenii primitias aetate maturiore dispicentes igne postea deleuit. Qua vero ratione in iuuentute Platonicam disciplinam excoluerit, ita narratⁿ: *Anno salutis humanae MCCCCLVI, quo ego quidem annos aetatis agebam tres atque viginti, primitias studiorum meorum auspicatus sum a libris quatuor institutionum Platonicarum, ad quas quidem componendas abortatus est Christophorus Landinus amicissimus mibi, vir doctissimus. Cum autem ipse et Cosmus Medices perlegissent eas, probauerunt quidem, sed vt penes me seruarem, consuluerunt, quoad Graecis literis erudire, Platonicaque tandem ex suis fontibus baurirem. Eas enim partim fortuita quadam inuentione, partim Platonicorum quorundam Latinorum lectione adiutus effeceram. Platonem deinde Platonicosque Graecos aggressus, institutiones illas paulatim libris sequentibus emendaui.* Ita vero factum, vt mature masculam p̄ae se eruditio- nem ferret, et patronis suis ex Medicea gente maximopere commendaretur, qui non modo beneficiis eum cumularunt, sed familiaritate quoque dignati sunt. Scribit ipse^o, *se cum Cosmo annos plures, quam duodecim feliciter philosophatum esse, tam acutum eum fuisse in disputando, quam prudentem et fortem in gubernando. Multum se equidem Platoni debere, sed Cosmo non minus. Solonem philosophum imitatum, cum per omnem vitam vel in summis negotiis philosophatus esset, illis tamen diebus, quibus ex hac umbra migravit ad lucem, quam maxime fuisse philosophatum, decessisseque, p̄aeleto Platonis libro de uno rerum principio ac summo bono.* Ita in illustrissima societate philosophiae Platonicæ operam nauans, cum exemplo, cohor- tationibus et beneficiis calcaria subderentur, magnis passibus ad summam in hoc eruditionis genere cognitionem cucurrit: fuisque studiis intentus, de vita necessariis parum fuit sollicitus. Cum enim familia praeter nepotes et neptes nulla vrgeretur, facile fuit, ex sacerdotii, quod nactus erat redditibus vivere. Quae alia desiderabat, Mediceorum suppeditabat munificentia. Adeo vero philosophum in his quoque beneficiis parce friendis se gessit, vt ad Philippum Valorem scriperit^p, *domesticos suos, qui ipsi multi sint, multumque molesti, quoniam neque philosophici, neque philosophico victu supelleſtilique contenti frequenter obitcere: ceteros Mediceae domus cli- entes atque clientulos paucis annis inde quam plurimum accepisse, me vero amplissime huius familiae familiarissimum, ac ut ita dixerim, clientissimum mul-*

^{l)} Conf. Amoenit. lit. I. c. §. 7. p. 36.
^{m)} Ep. L XI. p. 180.

ⁿ⁾ In Epistola ad Phil. Valorem L. XI. p. 177.
^{o)} L. I. p. 9. ^{p)} L. XI. p. 185.

multis annis reportasse non multum. Quibus addit, se gratis accepisse, alios precario, et accepisse se, quantum voluisse, si modo petuisset. Mirum itaque non est, in tam ampla magnae domus benevolentia minime lautam fuisse Ficini fortunam; qua de re legenda sunt, quae diligenter congregavit Cl. SCHELHORNIUS^q. Multum vero ad hanc eius arctam rem domesticam contulere, fata Mediceae gentis, Laurentio Medice anno M CCCC LXXVIII Florentia electo et a Sixto IV anathemate percutso^r. Ut taceamus, nec ex medica praxi rem sibi fecisse Ficinum, nec lautis stipendiis ecclesiasticis instructum fuisse, valdeque pressisse eius fortunam aduersarios^s. Quas tamen aerumnas disputit Ioannis Medicis cardinalis beneficentia, cuius cura canonicatu auctus est. Docuit etiam philosophiam Florentiae publice, vnde factum, ut discipulos educaret, magna postea eruditionis laude celeberrimos, inter quos fuere summi viri Angelus Politianus, Benedictus Accoltus Aretinus, Ioannes Caualcantes, Antonius Calderinus, Michael Mercatus, et ex Italorum gente alii quoque^t. Et haec eruditionis eius celebritas usque ad Germanos penetrauit, et Platoniam ibi philosophiam disseminauit, ut infra in vita Reuchlini dicemus. Tantaque fuit Germanorum in Ficino fiducia, ut nobilem iuuentutem eius fidei tradarent, et ad discendas literas elegantiores, ad eum Florentiam mitterent: quos iuvenes paterno complexum fuisse animo, ex literis Ioannis Straehleri, post ista tempora triumui foederis Sueici, et ICti Vlmensis, constat^u. Eadem eruditionis praestantia viris summis atque principibus Ficinum commendauit, gratiosum apud Innocentium VIII, Matthiam Corunum Hungariae regem, Beffarionem, Franciscum Saluiatum, Iacobum Papiensem, Raphaelem Riarium Cardinales aliosque, fuse nominatos a doctissimo SCHELHORNIO^v, qui videndus. Ex his vero vita philosopho digna, quam Ficinus vixit, intelligi potest, quam procul ab ambitione et avaritia, in praediis a Medicibus sibi donatis ita triuit, ut non otio, sed confabulatione philosophica cum amicis, vel meditationibus vires publico docendi munere consumtas reficeret. Et his quidem montis Vecchii, Maianique, Celani et Caregiani agri secessibus tot libri Ficini debentur, quos sine sacro ruris silentio in tam profunda argumenti obscuritate non peperisset Ficini ingenium. Sed et inter amicorum confabulations in hac otii sui solitudine de philosophia Platonica plerumque diferebat, proditque ipse, ad Petrum Medicum scribens^w, se in agro Carregio cum Laurentio Medice deambularem, multa cum eo mysteria Platonis ultro citroque fuisse interpretatum. Immo solus cum esset^x,

G 2

non

^q) Amoen. lit. loc. cit. §. 10. p. 46 seqq.^r) L. VI. p. 116.^s) Conf. SCHELHORNIVS l. c. p. 48. 49.^t) Diligenter eos enarratos vide l.c. §. 13. p. 52 seqq.^u) Epist. Cl. Vir. ad Reuchlinum p. m. 5. b.
Ex eo loco apparet in Graecis eos ipsum Ficinum,
in Latinis literis habuisse Christophorū Landi-
num praeceptorem, praelegentem Horatium et Ci-

ceronem. Vlos quoque eos esse Lippi et Politiani
in utraque lingua praelectionibus, et Pico in Phi-
losophia. In hac epistola Ficinum patrem no-
strum vocat Straehlerus. De hoc vero viro vid.
SCHELHORN. l. c. p. 56.

^v) §. 15. p. 56 seqq.^w) L. I. p. 30.^x) L. V. p. 100.

non tam animum remittebat, quam intendebat, ratus *solitudinem philosophantibus non tam remissionem mentis quam intentionem esse et solere et debere*. Mirum autem, virum tantilli corpusculi, ut vix iustae magnitudinis viri lumbos attingeret^a, et perpetuo cum aduersa valetudine colluctantem^b, tantae molis saxum, quale trahebat philosophia, quam excubiebat, Platonica voluere potuisse. Temperamento vsus est melancholico, quam animi complexionem velut rem amarissimam ipse accusat, et a constellatione sua more huius aetatis plurimum astrologiae tribuentis, decriuat^c. Nec male eum coniecisse, et corporis incommoda, ex hypochondriaco affectu coorta, et animi virtutes atque vitia comprobant. Fuit enim animo leni, moderato, ac mansueto, qui haud facile vel verbulo aliquem laceſſeret, clamoresque de re villa tolleret. Vnde aequissime difſentientes a Platone tulit, quamuis ſuperftitioſe plane Platonem coleret^d. Temperantiae quoque et sobrietati deditiſſimus, hoc potiſſimum fulcro nutantem valetudinem fuftentauit. Diligentia autem maxima vsus improbum laborem summa ſuperauit patientia. Pietatem quoque excoluifſe, et a nimio philosophiae amore ad religionis curam Sauanarolae concionibus et eloquentia permotum fuſſe nonnulli referunt^e. Eadem vero complexionis animi et temperamenti ratio vitiorum quoque intellectus atque voluntatis occaſionem ei aperuit patentifſimam. Accurato enim deſtituebatur iudicio, quo ſi fuſſet inſtruſtus, facile a ſuperftitioſo Platonifmi Alexandrini amore, quo nihil in philosophia vnuquam fuit ineptius, ſibi cauifet, et felicius in pudenda ſectae huius ſomnia et inania *φιλοſοφία* penetraſſet. Aſt ab his praefidiis non fatis inſtruſtus dici non poteſt, quam egregie nugetur, et huius furfuris philoſophastros non ſuper omnes modo philoſophos extollat, ſed paene diuinos faciat. Cuius infaniae exempla eſſe poſſunt praefationes in Platonem, Plotinum, Iamblichumque, quibus reuera delirat. Nec ingenii cultioris ornatu et luce quadam elegantiore eniuit, prodiſ enim dictio conuisionem quandam, et ab elegantia deſtituitur, recteque obſeruatum CLAUDIO VERDIERIO^f, de eſſe ſtilo eius affeſtuum vim, leporem, venuſatatem, elegantiam, arguſiem, acrimoniam, dignitatem. Factum autem iſta animi diſpoſitione, ut Enthusiasmo Alexandrino mirifice faueret, et Platonicorum recentiorum ſomniis fidem adhiberet certiſſimam. Quarn ineptientis ingenii labem et credulitatem philoſopho indignam deteſtabili ſuperftitione demonſtrauit, qua apparitionibus, insomniis, ominibus, mirum quantum, tribuit, et maximas rerum ciuilium mutationes nescio quibus imaginationis terriculamentis ſignificari, vel fiderum positionibus et apparitionibus praedictas fuſſe, indigna philoſopho ratione contendit. Quis enim a philoſopho

^{a)} Iovius in Eleg.^{b)} L. IV. p. 85.^{e)} WHARTON. ad Caueum p. 112. DUPIN. Bibl. Eccleſ. T. XIV. p. III.^{c)} Ep. L. III. p. 70. De vita ſana c. 10. SCHEL-

HORN. loc. cit. §. 17. p. 69.

^{d)} Laudabile exemplum habes in Epift. ad Her-^{f)} Apud POPE-BLOVNT. Cens. Cel. Autor. p. 493.

sopho sani rectique iudicij expectet dici ^e, Laurentii Medicis animam expirantem laetum aetherem excepisse, grandiore stella, in Laurentiana recta cadente, mirisque flammis ex alto in Caregianis agris coruscantibus? Et biduo ante obitum Iouem rubente dextra sacras iaculatum arces terruisse urbem mox orbam tanto patre futuram. Alia, ne instituti transfiliamus limites, praeterimus, lectoremque ad librum eius de vita coelitus conseruanda dimittimus, in quo magno studio huiusmodi ineptias tradidit. Fecit haec supersticio, quam potissimum in isto libro prodidit, ut male passim audiret, opusque haberet amicorum, praecipue Hermolai Barbari, opera se excusare. Immo ista quoque caufsa potissimum fuit, cur criminis magiae suspectus factus sit. A quo docta quidem apologia eum liberare sategit eruditissimus SCHELHORNIVS ^f, ita tamen, ut recte eum anilis superstitionis reum agi, vltro concedat. De quo aliter pronunciari quoque non potest, si ipsa illa fundamenta considerentur, quibus in isto libro vsus est, et medicas quoque consultationes inaedificauit: Mundum esse animatum, esse quasdam veluti escas, quibus animati mundi et stellarum munera alicere possint mortales sibique vendicare: inter animam mundi et corpus eius inesse spiritum, eumque necessario requiri tanquam medium, quo anima diuina et adsit corpori crassiori, et vitam eidem penitus largiatur. Hunc mundi spiritum, sibi fauenter reddendum illi esse, qui sanus esse cupiat etc. Non haec noua quidem sunt, et a Ficino excogitata, sed dudum a Platonicis Alexandrinis tradita, ex quorum lacunis Ficinus totus in eorum castris insaniens hausit. Ab omni vero iudicij et philosophiae accuratione esse remotissima, nemo forte hodie, in tanta philosophiae luce, negauerit, cui sanum est synciput. Dedit tamen postea Ficinus manus Politiano et Pico astrologiam oppugnabibus ^g, sed, quod suspicamur, metu magis, quam rationibus conuictus. Porro ad haec temperamenti Ficini vitia referenda est pudenda adulatio et humi repens studium gratiam potentium aucupandi. Non adducemus turpisimae rei exempla, legent ea, qui volent, apud SCHELHORNIVM ^h; facile autem concedet, quisquis philosophiae pretium statuere nouerit, hos mores philosophum prorsus dedecere. Nec aliunde, quam ex ista animi complexione deriuandus est, meticulosus, quem haud raro Ficinus prodidit, animus, impietasque quaedam sibi hominum fauorem et benevolentiam conciliandi, quae non erubuit sacrorum oraculorum effata ad profanam allegoriam transferre. Quanquam et ineptus ille Platonis amor eum interdum ita delirare coegerit, cuius exemplum ex Plotini praefatione adducit SCHELHORNIVS ⁱ, quod tamen in Basileensi editione aliter se habet, et ob impietatem emendatum esse videtur. Addimus his vitiis temperamenti iniquitati adscribendis spiritum sectarum in Platonis et Platonicorum admiratione insanum in modum desipientem, cuius ge-

G 3

neris

g) Praef. in Plotinum. h) Loc. c. p. 119 seqq.

i) Prolixius haec explicat ex isto libro SCHELHORNIVS 1. c. p. 126 seq.

k) Ep. L. XII. p. 194.

l) §. 19. p. 78. 79.

m) p. 80.

neris exempla pluscula congeslit cl. SCHELHORNIUSⁿ, inter quae lepidum est, quo Socratem Christum praesignificauisse, ineptius dicam an imprudentius afferuit. Nos vnum adducimus, a viro doctissimo omisum, quando in *Dedicatione versionis dialogorum Platonis*, Platonicam philosophiam commendaturus scribit: *Nolite, precor, antiquam salutaremque doctrinam, heu iam diu nimis oppressam, nuper autem in lucem, diuina prouidentia prodeuentem, insequi crudeliter et opprimere, ne forte, quam Deus omnipotens vult ubique vivam, mortalis homo frustra perditam velit. Dextera enim domini fecit virtutem, dextera Dei iam exaltauit eam, non morietur, sed viuet, et enarrabit opera Domini.* Verum de his omnibus rectius ipse iudicabit lector, si cum cura libros eius euoluerit, quorum recensum dant, W H A R T O N V S, I V L I V S N I G E R, SCHELHORNIUS, N I C E R O N I V S^o alii. Pleraque eius scripta duobus voluminibus excusa a Basileensibus^p. Inter ea praestant versiones Platonis et Plotini, improbi molestique laboris, multorumque annorum opus, quo de philosophica historia ipsoque Platonismo egregie meruisse censendus est: praesertim cum scriptis introductionibus et commentationibus obscuram Platonis, et imprimis Plotini, philosophiam illustrare fit aggressus. Inde magna Ficino nominis enata celebritas, qua praeferriri Ioannis Serrani diligentiae meruit^q. Fatendum tamen, utramque versionem minus feliciter Ficino cecidisse. Observatum id iam P. D. H V E T I O^r, *Nannium reprehendenti, quod Marsilium Ficinum religiosum et fidelem interpretem, dixerit, summaque cura verbis institisse, sententiam quoque reddidisse, in indole vero defecisse: se enim aliter iudicare ait, nam verborum quidem curam negligere Ficinum, sententias dilatare nonnunquam vel contrahere.* Nec hoc solum desiderandum, sed ipsa quoque fidelitas; dum Platonem ita saepe vertit, non ut eius mens poscit, sed ut ipsi visum, ut iam alibi notauius^s, dudumque in eo desideravit I o. B A P T. C R I S P V S^t. Cuius potissimum caussa nobis, qui toties Ficinum cum ipso Platone et Plotino comparauimus, esse illa videatur, quod recentioris magis quam veteris Platonismi gnarus, Platonem ipsum cum Platonis Alexandrinis loqui coegerit. Accesit maius impedimentum, ineptum scilicet praejudicium, Platonis Plotinique scripta veram diuinamque philosophiam complecti, et satis amice cum reuelatis conspirare dogmatibus. Quo errore impeditus vertit utrumque philosophum non ut debuit, sed ut voluit, et alienos illis sensus haud raro affinxit. Cuius exempla plurima adduci possent, si id locus pateretur, facile vero Platonicae philosophiae gnarus ea deprehendet. Neque tamen recentiorum quoque Platonicorum placita accurate satis ubique assescutus est, et multa ignorauit; quae ne frustra se in hoc faxo voluendo per omnem vitam suam defuisse

ⁿ) Amoen. liter. §. 20. p. 81 seqq.^o) Il. cc. p. 1561. fol.^p) Videnda elogia collecta a BLOVNTIO l. c.
MAGIRO Eponymol. crit. p. 349. SCHILLER. l. c.^r) De clar. interpret. p. 295.^s) Hist. de ideis Sect. I. §. 3. p. 33.^t) De Platone cause legendio Diatr. II. L. 6. p. 270.

ipsoque PICVS de van. Astrolog. L. V. c. 6.

dasse videretur, allegoriarum machinis torfit et in alienos sensus rapuit. Tamen affectatam obscuritatem praecipue in Plotino, qua philosophum in se difficilem et latentibus sententiis obscurum nouis tenebris inuoluit, et metaphysicum scribendi genus, breue, concisum, abstractum, Latino sermone infeliciter haud raro imitatus est. Idem de versione *Eclogarum Iamblichii, Procli, Porphyrii, Synesii, Pselli, Alcinoi, Speusippi, Mercurii Trismegisti* dicendum, quas, melius fecisset, si dedisset integras; discerptas enim haud raro ex naturali scriptorum significatione in peregrinos sensus rapuit. Similem operam Dionysio Areopagitae praefstitit, nempe dignis eius labris lactucis. Alias, quibus Platonicam philosophiam explicare conatus est, commentationes taceamus. Obiit in Coregianis agris febri corruptus anno clo CCCCCXCIX, annos natus LXVI ^{u)}, variis epitaphiis a viris doctis ornatus. Inter quae **POLITIANVM** auctorem habet sequens:

*Mores, ingenium, Musas, sophiamque supremam,
Vis uno dicam nomine? Marsilius.*

Ex hac breui Ficini vitae historia cuilibet mediocriter attento constare arbitramur, non defuisse Ficino doctrinam, et meruisse eum laudes, quas ei ob eruditionem detulit virorum doctorum censura. Ast negari quoque non potest, inter philosophos virum hunc, qui totam vitam suam philosophando consumxit, humilem omnino locum obtinuisse. Id quod et animi conditio supra exposita, et philosophandi ratio, praeiudiciis et superstitione corrupta, ipsumque philosophiae genus cui se tradidit, recte rem aestimantibus manifestum facit. Quod si itaque fatendum quod res est, non tam mirum videri debet, quam visum est G. I. VOSSIO ^{x)}, Viuem inter philosophastros Ficinum retulisse. Parum enim ex iis animi atque ingenii dotibus retulit, quae ad verum Philosophum requiri solent. Immo nec Platonicam philosophiam veram illam, quae in veteri Academia personuit, resuscitasse dicendus est. Totus enim iuniorum Platonorum nugis captus fingit, refingit mutatque Platonem, prout visum est. Hoc vero commilitone in Platonica philosophia excolenda vñus est Picus, hunc praceptorum habuere Reuchlinus et Agrippa, a quibus Platonica philosophia propagata est. Quam itaque illa fortunam post renatas literas fecerit, ex his omnibus nemo non intelligit.

§. IV. Iunxit socias cum Ficino in excolenda resuscitandaque philosophia Platonica manus **JOANNES PICVS MIRANDVLAE DOMINVS ET CONCORDIAE COMES AC PRINCEPS**, vir et sanguine et literis illustrissimus, adeo ut communis suffragio Phoenix ^{y)} ingeniorum secu-

*Ioannes Pi-
cus.*

u) Errant itaque, qui 1483 annos 71 natum decessisse tradunt. Quae de pacto apparitionis post mortem cum Michaeli Meranto inito et adimpleto narrari solent, ea apud **BARONIVM AN. T. V.** ad an. 411. legi possunt, et excusisse ea **Io. FRID. MAYERVS** in diff. prael. de pacto apparitionis

post mortem. Nos Lectorem monemus, prius de veritate rei dispiciendum esse.

x) De Scient. Math. c. 35. §. 47.

y) Conf. quae afferit **Io. MOLLERVS** Homonymoscop. p. 883.

seculi sui dici meruerit. Eius vitam, ex fratre nepos Ioannes Franciscus Picus scriptis, praefixam eius operibus, et inseruit quoque *vitis a se selectis*
GVL.BATESIVS²⁾, excerptis autem **Io. FR. BVDDEVS**⁴⁾. Alios magno numero, qui res eius literarias tetigerunt, nominauerunt Hamburgi literati decora, nuper eheu! amissa, **Io. ALB. FABRICIVS**³⁾ et **Io. CHR. WOLFIUS**⁵⁾, qui videndi. Cum illustrissimas haberet origines, maioribus iam seculo XII summis dignitatibus fulgentibus, animi tamen nobilitate magis illustratus est. Patre natus est Ioanne Francisco, qui eum anno M CCCC LXIII genuit. Puer admodum excellentissimam ingenii diuini vim prodidit, quam parens diligenti institutione augeri excolique curauit. Quo factum est, ut mature et in ipsa adolescentia eloquentiae atque poëeos praestantia eniteret. Quartum et decimum aetatis annum agens Bononiam ad descendam iuris pontificii disciplinam mislus est; quod tamen per biennium probe inspectum, vehementer ei displicuit, eo quod id meritis traditionibus incertissimis niti perspexisset. Edito itaque diligentiae et profectuum specimine ad excolendam philosophiam se contulit, resque diuinas et humanas omnes explorare cum causis suis contendit. Quem in finem suscepito per Italiam atque Galliam itinere literario, praestantes vbiue viros audiuit, interrogauit, quaerendoque examinavit quasi probauitque, et omnis, quem perfonuit, philosophiae mysteria didicit. Viuis autem paeceptoribus iunxit mortuos, lectisque libris scriptorum Graecorum, Latinorum, Arabum et Iudeorum philosophicis, iuuenis eam sibi eruditionis copiam in theologia et philosophia, linguisque Hebraica, Chaldaica, Arabica, Graeca et Latina comparauit, ut omnes in admirationem stuporemque verteret, sive temporis exemplum vnicum et aetatis istius miraculum haberetur. Ita consumto in his literis et philosophia septennio, publico quoque specimine innotescere orbi literato et philosophico constituit. Humanae itaque, quod nepos fatetur, laudis et gloriae cupidus, Romam migrauit, ibique nongentas de Dialecticis, et mathematicis, de naturalibus diuinisque rebus quaestiones proposuit. Eas non ex Scholasticorum modo gazophylaciis, sed ex Arabum quoque Graecorumque, et Chaldaeorum atque Cabalistarum scrixiis se hausisse gloriatur, respiciens potissimum ad recentiorum Platonicorum dogmata, Zoroastris, Mercurii, Orphei, Pythagorae nomen paeferentia. Extant illae conclusiones nongentae, praecipios theologiae locos, et pleraque, in quibus philosophorum omnis labor et studium cernitur, exhibentes inter opera eius^{d)}, ex quibus patet, desumisse eas Picum ex Alberto, Thoma, Francisco, Henrico Gandauenſi, Aegidio Romano, Averroë, Auicenna, Alpharabio, Isaaco Narbonnenſi, Abumaron Babylonio, Mose Aegyptio, Mahumeth Tolletino, Auempate, Theophrasto, Ammonio, Themistio, Plotino, Adelando Arabe, Porphyrio, Iamblico, Proclo, Pythagora, Chaldaeis theologis, Mercu-

2) p. 90.

3) Introd. in philos. Hebraeor. p. 90.

4) Bibl. Lat. Med. T. IV. p. 335.

c) Ad PAULI COLOMESIV Italian Orientalem p. 10 seqq.

d) p. 42.

rio Trismegisto et Cabballistis. His subiunxit conclusiones secundum opinionem propriam. Has conclusiones in omnibus Academiis Europae celebrioribus affigi publice curauit, eos prouocans, sumtusque itineris praestare promittens, qui de iis disputationem cum ipso publicam Romae inire vellent. Non respondit tamen ambitiosi iuuenis desideriis euentus, cum enim pleraeque illae conclusiones, eae potissimum, quas secundum opinionem propriam attexuerat, peregrinum quid sonarent, et inaudita hactenus praeferrent dogmata, obscurissimum autem argumentum a nemine intelligeretur, coepit de doctrina suspectus esse. Accessit eruditorum inuidia, quae ferre non poterat, iuuenem viginti quatuor annorum omnem orbem eruditum in arenam prouocauisse. Cumque magiam quoque naturalem ab impia et scelestia distinguere conatus esset, cessit ea res illi in opprobrium, auxitque suspicionem heterodoxiae; quo factum est, ut tredecim conclusiobus haereseos nota inureretur, ipseque Picus prohiberetur, quo minus eas Romae publica disceptatione defendere posset. Ab ea labe scripta *apologia*^e se defendit, in qua, referente biographo, *luce clarior conspi- ci datum est, non tantum conclusiones Cabballisticas catholicos potuisse recipere sensus, quam illos, qui primum adlatrauerant, insolentiae et ruditatis coarguendos esse.* Subolebit ex his verbis lectori, rerum non ignaro, qualem philosophiam barbaricam, Aegyptiacam, Cabballisticam, Chaldaicam Picus sectatus fuerit, illam nempe, quam pia fraus vetustissimis nominibus supposuerat, ut veritati religionis aptius suffragarentur. Qualia tamen dogmata, licet ecclesiae et pontificis iudicio submitteret, ferre non potuit Innocentius P. M. omneque istud disputationis consilium euertit. Ipse vero Picus, ubi paulo magis iuuenilis ardor deferbuit, ad saniora animum aduertens salubriora consilia fecutus est, et posthabitis gloriae et voluptatis, foeminarumque blanditiarum illecebri, totum se ad Dei gloriam et ecclesiae utilitatem promouendam amplificandamque conuertit, et iuuenilia scripta Vulcano tradidit, interque ea elegias quoque quibus amores suos cecinerat, combussit. Tum sacrarum literarum studium ardentissima contentione complexus, ad veritatis Christianae defensionem contra Iudeos et Muhammedanos animum reuocauit. Hebraica oracula cum Graecis et Latinis contulit, astrologorum vanitatem magna eruditione exploxit^f, et infidelium atque haereticorum impietatem refrenare sategit. Tanto vero pietatis ardore flagravit, ut deposita principatus fui et regiminis cura anno c^o CCCXCI facultatum partem magnam pauperibus distribueret, et in solitudinem praedii alicuius secederet, piis meditationibus vacaturus. Tantopere vero circa vitae finem pietate se tradidisse nonnulli referunt, ut facultatibus omnibus pauperibus erogatis

con-

^e) Opp. p. 76.^f) Extant contra Astrologos, sive in Astrologi-am diuinatricem disputationum Libri XII. Opp.
T. I. p. 278.

constituerit nudis pedibus per orbem obambulare Christum praedicaturus. Sed obstatere ultima eius fata, quae vix XXXII annos natum ^g humani rebus anno cloCCCCXCIV, XV. Cal. Dec. eripuerunt. Nactus erat corpus venustate decorum et dignitati, quam tuebatur Picus, par, ingenium autem magnum, excellentissimumque, quod non nisi summa, quamvis honestissima, spirabat, unde animum quoque aluit gloriae vehementer appetentem, quem vero annis paulo maturior valde demisit, et ad humanitatem, et modestiam vanitatisque humanae agnitionem prudenter pieque composuit, ex qua laudabi contentione scripta quoque theologica prouenerunt. Laudatissimo enim conatu philosophiam a speculatione ad animi emendationem traduxit. Talis cum esset, mirum non est, inuidendis eum elogiis prosecutus fuisse viros in literis summos, quorum loca, cum adduxerint THOMAS POPE - BLOVNT ^h et PAVLVS COLOMESISVS ⁱ, ad eos lectorem remittimus. Vnus POLITIANVS, vir doctissimus, qui Picum intus nouit, et in eius quoque contubernio haesit, sufficiat, ita de Pico pronuntians ^k: Princeps hic nobilissimus, vir vnus an haeres potius omnibus fortunae, corporis animique dotibus cumulatissimus, vt pote forma pene diuina iuuenis et eminentia corporis maiestate perspicacissimo ingenio, memoria singulari, studio infatigabili, tum luculenta ubique facundia: dubium vero iudicio mirabilior, an moribus. Idem totius philosophiae consultissimus, etiamque varia linguarum literatura et omnibus honestis artibus supra veri fidem munitus, atque instructus: denique ut semel complectar, nullo non praeconio maior. Nos praetermissa reliqua eius eruditione, quae ad nostrum institutum non spectat, eius tantum philosophiam consideramus, quam se, ex Chaldaeorum, Zoroastris, Mercurii Trismegisti, Orphei, Pythagorae et Cabballistarum fontibus hausisse gloriatus est, ut supra dictum. Nec negari potest, legisse eum libros nonnullos Cabballisticos, tum omni orbi philosophanti, praeter paucos quosdam Iudeeos, qui arcanam seruauabant hanc philosophiam suam domesticam et esotericam, ignoratos, exque iis multa decerpisse. Dolendum autem et huius potissimum furfuri philosophiae genus illum elegisse, et deceptum ab impostoribus libros suppositios, vel interpolatos et nefaria fraude ad Christiana mysteria attenueratos accepisse, ut eum pecunia emungerent. Tales enim LXX. libros Cabballisticos fuisse, quos non medioeri impensa a Iudeo quodam Siculo sibi comparasse PICVS scribit ^l, eosque Esraiticos esse fibi persuasit, quorumque catalogum a IACOBO GAFFARELLO vulgatum recudi fecit IO. CHRISTOPH. WOLFIVS ^m, suo loco, ubi Iudaicam et Cabballisticam philosophiam enarravimus, iam ostensum est; nec dissentit.

g) XXXIII. annos perperam ponit COLOMESISVS l. c. Epitaphio eum refutante. Conf. CRESCEMBINI Hist. poët. Ital. P. V. L. II. p. 95.
h) Cens. Cel. auct. p. 497.

i) loc. cit.
k) Miscell. Cent. I. c. 100.
l) In Apologia p. 82.
m) Ad calcem T. I. Bibl. Hebr.

dissentient viri docti, RICH. SIMONIVS^o, Io. SELDENVS^o, et plerique, qui has literas et philosophiae hoc genus intelligunt. Quodsi dicendum, quod res est, Asiaticae et Alexandrinae philosophiae iactantia Picus deceptus est. Eam enim, qualem postea Platonici in systematis ordinem duce Ammonio redegerunt, Chaldaicas, Aegyptiacas, Orphicasque origines mentitam fuisse fuse accurateque suo loco demonstrauimus, et ex his quoque lacunis Cabbalisticam illam Iudeorum philosophiam haustam fuisse, palam fecimus. Haec cum ignoraret Picus, qui, conditione sui aeuia ferente, philosophicae historiae lumine non erat collistratus. Platonicae, et Orientalis siue Asiaticae philosophiae somnia pro veteribus Chaldaicis et Aegyptiacis habuit, sibique caro pretio vendi passus est. Quibus aliud accessit malum; cum enim, qui fumos illi vendere cupiebant, impostores nosset, Picum veterem philosophiam ad tuendas religionis Christianae veritates transferre cupere, deliria ista Orientalia et Platonica ad Romanae ecclesiae placita accommodarunt emendaruntque, et ita dupli fraude Picum circumuenientes, pecunia fraudulenter emunxerunt. In quas casses incidisse Picum mirum non est, cum in Academia Medicea, Platonismum recentiorem didicisset, et cum Cosmo atque Ficino toties Platonice fuisse philosophatus. Quod qua ratione facere Picus coepit, ex FICINI Praefatione in Plotinum disci potest, qui hunc Platonicae philosophiae amorem in Pico, more suo, coelitus euenisse iudicat. Peius tamen, quam ipse Ficinus, in explicando Platonismo Picus aberrauit. Eius enim theses Cabbalisticas, quas ex operibus eius rarius obuiis repetiit B. BVDDEV^s^{*}, intuenti, ad oculum patebit, ignorasse Picum, quid sit Cabbala, quodque philosophiae genus illa constitutat. Definit enim Cabbalam practicam ita, ut dicat esse, *quae practicat totam metaphysicam formalem, et theologiam inferiorem*; ita vero practicam Cabbalam cum theoretica mire confudit. Pari ratione Cabbalam literalem et exegeticam cum philosophica vel metaphysica miscet, ut ex his eius thesibus^p est apertissimum. Quod vero maius et fere intolerabile est, praepostero sacrarum doctrinarum cum Cabballisticis comparandarum et conciliandrum studio seductus, vbique miscet quadrata rotundis, sana venenatis, pulchra deformibus^q. Hac vero ratione, cum Cabballisticæ philosophiae mysteria ab eo didicerint, qui ipsum Picum in Italia audiuit Ioannes Reuchlinus, quemque commentatorem habuit Angelus Burganouensis aliquique Cabballisticæ philosophiae sectatores, quos in sequentibus nominabimus, corrumpendae huius philosophiae, et adulterandorum verorum dogmatum auctor, extitit. Idem in philosophia, quam fecutus est, Platonica praestitit: Syncretismo enim pestilenti, quem recentiores Platonici introduxerant, et Graeci exules in Cosmi domum et ad ipsum quoque Ficinum perduxerant, correptus, et lerido seductus praeiudicio, veram et

H 2 diu-

ⁿ⁾ Epist. Sel. T. II. p. 178.

^{o)} De synedriis L. II. c. 16. §. 7. p. 417 sq.

^{*}) loc. cit.

^{p)} Th. 7. 14. 15. 16. 21. 22. 23. 32. 41. 43.

^{q)} Vid. Th. 14. 16. 19. 20. 21. 27. 33. 45. 46. 47. 51.

aliaque.

diuinam philosophiam Platonismum exhibere, Platonicorum placita Moysi aliisque viris sanctis tribuit, et ut semel complectamus, inepte miscet omnia, et Cabballistica, Pythagorica, Platonica, Aristotelica, Iudaica, Christiana inter se misere confundit^r. Id quod in *Heptaplo* eius, siue commentario in *Genefin*, desiderasse, sibique indicasse Aloysium Lippomanum, Veronensem episcopum, narrat *SIXTVS SENENSIS*^s, nempe *se in consulendis et coniungendis auctoribus in catena sua, ideo Pici rationem nullam habuisse, quod existimauisset, nihil se eius opera indigere, cum animaduertisset, Picum in hoc tantum unum incumbere, ut Platonicas cogitationes, vel suas potius phantasias verbis ac dictis Mosaicis exprimeret*. Idem de syncretismo iudicandum, quem inter Platonem et Aristotelem instituit. Refert enim nepos, scripsisse Picum de *cordia Platonis et Aristotelis*. Illud tamen opus haud prodiit, et cum aliis multis a praematuris eius fatis suppressum est. Cuius sine dubio titulo nituntur, qui narrant, ostendere voluisse Picum, eandem in omnibus fuisse mentem Platonis et Aristotelis. Quod equidem mirandum non est, cum Platonicorum recentiorum ille semper mos fuerit, Picus autem, teste *POLITIANO*^t, primo quidem Aristotelem secutus fit, et ab eo demum ad Platonicos transierit. Quod sectae nomen ille iure suo mereatur^u, quamvis multi ^v eum inter Cabballisticae philosophiae sectatores referant. Ex dictis enim constat, vtrumque sectae genus amice conspirauisse, ex iisdem scilicet fontibus haustum. Pertinet enim Picus, sic accurate dicendum, inter syncretistas recentioris actatis, quae philosophiae pestis a Platonicis Alexandrinis ad Christianos Orientales, et ab his ope Pseudo-Dionysii ad Occidentales scripsit, inter quos post Plethonem et Bessarionem in ea statuminanda diligentissimi fuere Picus Mirandulanus atque Ficinus, a quibus ad alios transiit. Haereditate a patruo hoc philosophiae studium accepit *IOANNES FRANCISCVS PICVS* Mirandulae dominus et Concordiae comes ac princeps, filius Galeotti, qui a fratre Ludouico pulsus, restitutus duabus vicibus tandem cum filio Alberto a Galeotto, Ludouici fratris filio capta nocturnis infidiis arce ad imaginem Salvatoris cruci affixi prouolutus imperfectus est^v. Ex cuius scriptis cum patrui operibus editis ^w liquet, eius illum vestigiis in philosophia quoque strenue institisse; defendit quoque patrum, cum eius *de uno et ente librum* aggressi essent *Ioannes Franciscus Antonius comes Fauentinus*, et *Antonius Fauentinus philosophus*. Eius vero libros duos *de studio diuinae et humanae sapientiae* separatim recudi fecit *I. F. R. BVDDEVUS*^x. Minus tamen ad Ioannis patrui gloriam adspiranti Mineruam fatis

Ioannes Fran-

ciscus Picu.

^r) Vid. Th. 29. 58. 63. 64. 68.

^s) Biblioth. S. L. IV.

^t) In Epist. p. 326.

^u) Hinc complatonicum suum nominat *FICINVS I.C.*

^v) MORHOF. Polyhist. T. II. L. I. c. 7. p. 38.

^w) *BUDDEVUS* Obs. ad Hist. phil. c. VI. §. 3. p. 372. §. 7. p. 392.

^y) *COLOMESISVS* I. c. p. 46. N. C. PAPADO-

^{POLI} Hist. Gymnasii Parauini T. II. p. 46.

^z) Basili. 1573. 1601. fol.

^a) Hal. Sax. 1702. 8.

fatis arrisisse, iudicat P. LOVIVS^b. A philosophiae vero praefidiis ad vitam rectam et exili consolationem exhibitis eum valde laudat PETR. ALCYONIVS^c, eo quod *commentando, scribendo, docendo amissi principatus dolorem leuauerit, et in philosophia quasi tabernaculo vitae suae collocato, ostenderit, plus a virtute sibi datum esse, quam fuisse a fortuna ablatum.* Aliorum iudicia de eo videnda apud PAV-
LVM COLOMESISIVM^d, et eos, quos laudat IO. CHRI-
STOPH. WOLFIUS^e.

CAPVT TERTIVM.

DE PHILOSOPHIAE ARISTOTELICAE
GENVINAE RESTAVRATORIBVS.

§. I.

Aristotelicae philosophiae fata tempore renascentium literarum capite huius libri primo iam ex parte tetigimus. Nempe resurgente Graecae linguae usu et cognitione viri docti, quos barbaries Scholastica offenderat, quique Latina lingua purius loqui didicerant, in id fuere connisi, ut, cum Scholastica natio Aristotelem creparet, in conditis versionibus usq; ipsi non tam rationem philosophandi commutarent, quam externum potius habitum, qui squalidus haec tenus et pannosus fuerat, emendarent et comtiorem redderent. Parum tamen profecisset ista industria, nisi raritati operum Aristotelicorum occurrisserent viri principes, qui ex Oriente eius Codices magnis sumtibus arcessuerant, virisque doctis et Graecae linguae gñaris interpretandos tradiderant. Quo nomine imprimis immortalem gloriam consecutus est Nicolaus V, P. M. qui quam amplissime Musis philosophicis fauerit, et beneficiis, muneribus, stipendiis viros doctos adiuuerit, maxime vero Peripateticam philosophiam, curata noua Versione Aristotelis a viris doctissimis facta, promouere fateretur, supra iam ex parte dictum est, passimque a viris eruditis annotatum^a. Hoc principe ἐργοδόντην cum ubique in interpretando Aristotele diligentiam atque industriam viri doctissimi probarent, factum est, ut textus Aristotelis genuinus accuratius inspici inciperet. Et huc tota illa caterua eorum virorum doctorum referenda est, quam inter restauratores elegantiorum literarum supra produximus. Cum autem summa obscuritate laboraret Aristoteles, et a plerisque difficuler intelligeretur, ad inter-

Fata resur-
gentis philo-
sophiae Ari-
stotelicae ge-
nuinae.

H 3

pretes

^b In Elog. et apud COLOM. l. c.^c De Exilio p. 45.^d Loc. cit.^e Ad loc. c. Colomesii.

a) Legenda eius vita, a IANNOTIO MANNETRO libris quatuor enarrata, vbi eius nobis, quod promisit, copiam fecerit præstantissimus MYRATORIVS.

pretes recurrit, quicquid Peripatetice philosophari cooperat. Hactenus autem, quicunque de Aristotelis mente inter Scholaisticos solliciti fuerant, Auerroëm Aristotelicae philosophiae interpretem fuerant fecuti. Quem cum velut barbarum elegantiora contemnerent ingenia, illa ad Alexandrum Aphrodiseum recurrebant, quem omnium optime et accuratislme Aristotelem fuisse interpretatum, communis in Lyceo semper fuit sententia. Vterque Peripateticae philosophiae antesignanus multa quidem eam luce collufrabat, sed impietatem quoque, quam Aristotelis physiologia souet, maxime in dogmata de natura animi immortali prodebat. Alexander enim mortalem hominis animam esse statuebat, Auerroës immortalē quidem, sed vnam tantum, intellectum nempe aliquem vniuersalem esse asserebat, ex quo omnes numero homines participant. Quam opinionem iam Thomae Aquinatis tempore inualuisse et refutationem ei extorisse in *superiori Tomo* ostendimus. Ab eo tempore autem Auerroistica secta, quam seculo XIII quoque Lullius scriptis et voce fugillauit, in Italia vehementer inualuit, siveque vtraque schola, Alexandria et Auerroistica seculo XV Peripateticam philosophiam magna inuidia cumulauit. Cui malo obuiam eundum ratus Leo X, P.R. et quod ille congregauerat concilium Lateranense, Auerroisticam doctrinam tanquam impiam et Christianae religioni inimicam damnauit. Adscribemus verba bullae integra, cum plurimum ad intelligendam Peripateticae philosophiae historiam seculo XV faciant. Ea vero haec sunt. „Cum diebus nostris zizaniae semi-
„nator nonnullos perniciofissimos errores in agro domini seminarie fit au-
„sus, de natura praesertim animae rationalis, quod videlicet mortalis sit,
„aut vnicula in cunctis hominibus, et nonnulli temere philosophantes secun-
„dum faltem philosophiam verum esse affuerent; contra hoc approbante
„sacro concilio, damnamus et reprobamus omnes afferentes, animam
„intellectuum mortalem esse aut vnicam, in cunctis hominibus; aut hoc
„in dubium vertentes: cum illa non solum vere per se et essentialiter hu-
„mani corporis forma existat, sicut in canone felicis recordationis Cle-
„mentis Papae, quin et praedecessoris nostri in generali Viennenſi conci-
„lio edito continetur, verum et immortalis, et pro corporum, quibus in-
„funditur multitudine singulariter multiplicabilis et multiplicata, et multi-
„plicanda sit. Cumque verum vero minime contradicat, omnem affer-
„tionem veritati illuminatae fidei contrariam omnino falsam esse defini-
„mus, et ut aliter dogmatizare non liceat, districtius iubemus. Omnes-
„que huiusmodi erroris adstrictionibus inhaerentes velut damnatissimas
„haereses seminarantes per omnia, ut detestabiles et abominabiles haereti-
„cos et infideles, catholicam fidem labefactantes vitandos et puniendos
„sore decreuimus. Insuper omnibus et singulis philosophis in vniuersita-
„tibus studiorum generalium et alibi publice legentibus districte praecipi-
„endo mandamus, ut cum philosophorum principia aut conclusiones, in
„quibus a recta fide deuiare noscuntur, auditoribus suis legerint, seu ex-
„plicauen-

„plicauerint, quale hoc de animae mortalitate aut vnitate, et mundi aeternitate, ac alia huiusmodi teneantur eiusdem veritatem religionis Christianae omni conatu manifestam facere, et persuadendo pro posse docere, „ac omni studio ad philosophorum argumenta pro viribus excludere ac resoluere. Ordinamus etiam, ne quis in sacris ordinibus constitutus philosophiae aut poëeos studiis ultra quinquennium post grammaticam et Dialecticam, sine aliquo studio theologiae aut iuris pontificii incumbat. Datum Romae in publica sessione in Lateranensi SS. Basilica solemniter celebrata, anno M D XIII, XIV Kal. Ian. pontificatus nostri anno primo. Pertinere hanc pontificis bullam, cui subscripsit Petrus Bembus Cardinalis, non ad initia modo seculi XVI, quibus Achillinus, Pomponatius, Portius hisque similes in his impiis dogmatibus afferendis strenui erant, sed ad seculum XV quoque, et utramque scholam Alexandri et Auerrois respxisse, ex FICINI verbis oppido memorabilibus ^b intelligitur, qui de suo tempore ita: *Totus ferme terrarum orbis a Peripateticis occupatus in duas plurimum sectas diuisus est, Alexandrinam et Auerroicam.* Illi quidem intellectum nostrum esse mortalem existimant, hi vero unicum esse contendunt: *utrique religionem omnem funditus aequa tollunt, praesertim quia diuinam circa homines prouidentiam negare videntur, et utробique a suo etiam Aristotele defecisse.* Et haec caussa quoque est, cur impietas, surgentibus elegantioribus literis inter Italos vires sumferit, lateque fimbrias dilatauerit suas. De qua tamen re prolixius disquirere, huius loci non est, consulique debent, qui ex instituto atheismi historiam caussasque expofuerunt IACOB. THOMASIVS ^c, IAC. FRID. REIMMANNVS ^d, Io. F. R. BVDDEVVS ^e. Vna physiologici systematis, quod Aristotelii placuit consideratio, satis euincit, aliter euenire in Peripateticismo genuino refurgente non potuisse. Huic itaque malo vt obuiam irent viri docti, de remediis cogitarunt. Et alii quidem Platonicam philosophiam huic veneno opponi antidotum posse iudicabant, rati, quod FICINV S ^f statuit, *tam diuulgatam impietatem, tamque acribus muniam ingeniosi sola quadam simplici praedicatione fidei apud homines non posse deleri, sed maiori admodum opus esse potestate, id est, vel diuinis miraculis ubique patentibus, vel saltē philosophica quadam religione, philosophis eam libentius audituris, quandoque persuasura.* Hanc philosophiam religiosam, impietati mederi aptam Platonicam esse censemant. Alii vero, qui Aristotelicam philosophiam non oderant, eam vel cum Platonica coniungi, illique attemperari posse et debere statuebant, quod Picum affirmauisse, in antecedentibus diximus: alii recte minus Aristotelem explicatum esse contendentes, magis sobrie in eo interpretando versandum esse contendebant. Quo in numero Plethonem fusse FICINV S ^g tradit, quem, sed minus Platonice, fecuti sunt ex Graeciis

^b) Praef. in Plotinum.^c) De causis Atheismi inter praefationes p. 407.
^d) Hist. Atheismi S. III. c. 4. §. a. p. 352.^e) Thes. de Atheismo c. I. §. 24.^f) loc. cit.
^g) Ibid.

cis exilibus Theodorus Gaza, Georgius Trapézuntius, Georgius Scholarius. Qui cum inter Aristotelicos seculi XV singulare sibi nomen acquisuerint, et de Aristotele pulcherrime fuerint meriti, cum Platonicis quoque manus pro Aristotelis auctoritate conferere non dubitauerint, iam porro nobis considerandi sunt.

Theodorus
Gaza.

§. II. Inter Graecos exiles, qui inter instauratores literarum in Italia referuntur, magnam nominis celebritatem sibi acquisuit THEODORVS GAZA, vir doctissimus, et philosophiae, medicinae, theologiae atque elegantiorum literarum peritissimus. Fuit is patria Thessalonicensis et, teste Iovio^b, Amurathe Graeciam omnem vicitribus armis quatiens, ad Italos confugit; unde errant, qui capta demum Constantiopolis in Italiā emigrasse traduntⁱ. Ibi a Bessarione Cardinale humannissime exceptus et presbyter ordinatus est. Latinas autem literas eodem Iovio narrante, a Victorino Veltrensi didicit, quem admirabilem virum in iis, quae ad Latinitatem pertinent, Georgius Trapezuntius praeceptorem quoque habuit^k. Eo magistro usque adeo copiose et diligenter Latinas literas didicit, ut longe omnium latinissime scriberet, nec plane dignosci posset, an exactius et certius ab eo Latina Graece, an ipsa Graeca Latine verterentur, quae verba sunt ipsius Iouii. Neque tamen in solo literarum humaniorum studio haesit, sed ad ipsam quoque philosophiam industriam suam transtulit, et imprimis Peripateticam philosophiam excoluit. Cuius diligentiae specimina sunt versiones librorum Aristotelis de historia animalium, et problematum Theophrasti de plantis, aliaque^l, in quibus ita Latini sermonis curam habuit, ut ipse fateretur, se illos libros non minus eleganter Latine expressisse, quam Aristoteles Graece scriperit. Laudat quod Iouius, quod Romanae linguae facultatem, quum noua vocabula solerter effingeret, audaci sed generosa translatione locupletauerit; qui et alio loco^m notat, Plinianorum verborum obseruatorem atque imitatorem diligentissimum fuisse. Non tacendum tamen, licet inter optimos interpretes numerari merueritⁿ, offendisse viros doctos, et philosophiae studium et Graecae linguae indolem, quod utrumque nimis, ubi sua dat, regnare olim iam notauit magnus ERASMVS^o. In quibusdam etiam illum lapsum esse, nonnullis obseruatum, quae causa est, cur versiones eius postea temporis ab aliis passim emendatae sint^p. Valde vero istis laboribus se viris summis, maxime Bessario-

ni atque

^b) In Elog. c. 26.

ⁱ) Id OVIDIUS vult de S. E. T. III. p. 2540.

^k) De docto hoc viro, de quo in monumentis eius temporis alium silentium esse dixit FABRICIUS Bibl. Graec. Vol. IX. p. 192 not. b. ipse postea quedam tradidit memorabilia in Bibl. Lat. Med. T. III. p. 76. not. a.

^l) Vid. IDEM Bibl. Graec. l. c.

^m) De piscibus L. I. c. 4 apud POLLONIUS Cens. p. 474.

ⁿ) Vid. quos laudat IDEM l. c. et HYETIVS de claris interpret. p. 219.

^o) In Ciceroniano p. 160. „Theodorus Gaza, Aristotelem, quam Ciceronem exprimere maluit, quo non alius felicior, siue veritas Graeca Latine, siue Latina Graece. Cum sua loquuntur, duo quedam obſtrepunt delicato lectori, philosophiae studium, in quo totus erat et illud, γράμματος Graeci sermonis, quod Latine loquuntur, sequi solet, ac vix unquam dedicatur.“

^p) Conf. quae notat FABRICIUS l. c. not. c.

ni atque Cosmo Medici commendauit, quo auctore quoque versionem librorum Aristotelis eum suscepisse, ne vero Argyropoli versioni sua interpretatione detraheret, eam deleuisse, supra memorauimus. Vterque gratum se ei praestitit: hic enim beneficiis illum auxit, ille sacerdotio in magna Graecia. Ex quibus prouentibus commode viuere potuisset homo frugali et philosophica vita contentus, et a voluptatis et luxuriae profusione alienus, nisi neglectis rationibus oeconomicis omnes redditus rapacibus Graeculis et Brutis demandasset¹. Ita enim neglecta re familiari in paupertatem et inopiam redactus est. Quam ut leuaret, *Historiae animalium* Aristotelis versionem tanto studio confectam et in membranis accurate perscriptam Sixto IV, P. M. inscrispit, et munus ei obtulit². A quo cum pingue munus et lautiorem fortunam sperasset, spe deceptus sua, quinquaginta tantum aureos praemium retulit, cum se totum inauratum iri a pontifice expectasset³. Qua de re tantam indignationem concepit Gaza, studiorum suorum deplorata fortuna, quod tam parca lucubrationum suarum merces esset, ut numos in Tiberim proiceret⁴, moestus ad Brutios suos reuertens, vbi quoque fame periret, nisi Ferrarensis ducis munificentia paulisper fuisset sustentatus, ut narrat THOMAS DE PINEDO⁵. Breui quoque post, aegritudine et moerore confectus anno MCCCCLXXVIII, non Romae quidem, ut nonnullis⁶ visum, sed in Brutis⁷ senex obiit, relicto non avaritiae quidem, indignationis tamen et fortis aduersae exemplo memorabili. Fuit, consentientibus virorum doctorum iudicis non solum grammaticus, sed philosophus quoque celeberrimus, immo VOLATER⁸ et iudice, in eloquentiae, philosophiae et medicinae studiis huius seculi facile princeps, Peripateticae autem doctissimus, ut ex iis constabit, quae infra de Peripateticorum contra Platonicos litigiis dicemus.

§. III. Eandem cum Theodoro Gaza viam ad excolendam Peripateticam philosophiam ingressus est GEORGIVS TRAPEZVNTIVS, vir eleganter doctus, de cuius rebus ad literas spectantibus, post vitam eius a FERNANDO ALPHONSO HERRERA⁹ scriptam, videndi IOVIVS¹⁰, ALLATIVS¹¹, PAPADOPOLI¹², NICERONIVS¹³, et aucto-

*Georgius
Trapezuntius*

q) IOVIVS in Elogiis loc. cit.

r) Inserat hanc versionem eum confidere NICOLAS V, cui etiam inscriperat. Eo autem defuncto cum ad successorem dissimilem se conuerteret, spe falsus est.

s) Varie rem narrant viri docti, vid. LEON. COZZANDVS de magist. antiq. phil. L. I. p. 119. IO. PIER. VALERIANVS de literat. infelicit. L. II. p. 259. THEOPH. SPIZEL. Literat. felic. p. 895. IOVIVS l. c.

t) Dixisse refert IOVIVS: „Effugere hinc libet, postquam optimae segetes in olfactu praepinguibus asinis fordescunt.

u) Ad Steph. Byzantin. p. 306.

x) TRITHEMIVS de S. E. c. 848 p. 202. et post hunc Palmerius, Boissardus, alii.

y) IOVIVS loc. c. VOLATER. L. XXI. p. 775. quos plerique sequuntur.

z) Loc. cit.

a) Praefixa est libris V. Rhetic, editis Complut. 1511, fol. Vitam Georgii quoque eius Dialecticae praefixit IOANNES NOVIOMAGVS.

b) In Elog. c. 25.

c) De claris Georgiis §. 50. p. 721. ed. Fabr.

d) Hist. Gymnaf. Patauini T. II. p. 18.

e) Memoires des hommes illustres T. XIV. p. 322.

et auctores Ephimeridum literariorum ab Italib scriptarum ^f, vt alios taceamus, alibi ^g a nobis adductos. Fuit is quidem patria Cretensis, quo loco anno MCCCXCVI, prid. Non. Apr. natus est: Trapezuntius autem dictus est, quia ad Trapezuntum Cappadociae urbem paternum genus referebat. Forte, (quod et Andream Eudaemonem Ioannem fecisse, legimus ^h) ideo Cretensis dici noluit, quod Cretones male audirent, idque dudum suspicatus est **L I L I V S G Y R A L D V S** ⁱ. Is tempore Eugenii IV, P. M. quo Florentinum concilium celebratum, et de concordia inter Graecos et Latinos ineunda deliberatum est, in Italiam venit, et Venetas primo, dein Romae pedem figens, rhetorica et philosophiam docuit; gymnasio praefectum fuisse tradit **G. I. V O S S I V S** ^k, aliis tacentibus ^l. Postea a Nicolao V, qui eruditioni Georgii ob peritiam Graecae literaturae et philosophiae Peripateticae mire fauebat, sibi ab epistolis esse iussus est, id quod ab Eugenio iam factum esse, perperam tradit **H. W H A R T O N V S** ^m. Anno MCCCCXLV Constantinopolin venit, paulo post redux iterum. In quo itinere de martyrio Andreae de Chio, quod hoc anno subiit, commentandi occasionem nactus est. Vehementer autem non complexus modo est Aristotelem, sed eius quoque partes non minore acerbitate et vehementia est tuitus, eamque ob rem magna dicacitate et indigna philosopho rabie conterraneos suos, qui Platonem venerabantur, eiusque philosophiam magno studio colere coepert, aggressus est. Quem dentem caninum cum non modo in Platone, sed omnino omnibus, quotquot ei pretium statuebant, figeret, summam omnium inuidiam meruit, et persecutionem quoque potentium, quos tunc valde Platoni fauisset, ex superiori capite constat, sibi contraxit, ipsique Nicolao V, maximi quidem Aristotelem facienti, verum Platonem quoque colenti, displicuit, et imprimis Besfariensis in se calatum concitauit, qui eum sub calumniatoris Platonis nomine fortiter refutauit, vt supra dictum ⁿ. Ita vero dum inuidiam et infidias cultorum Platonis euitare nequit, praesidiis ad sustentandam vitam illi vbiique apud potentiores interclusis misere vitam agere coactus est. Et succubuisset fatorum aduersitati, nisi, quod ipse filius Andreas resert, Alphonsus V. rex eum Neapolin aduocauisset, et exhibito honesto stipendio, clementer eum habuisset ^o. Falsum itaque est, quod **W H A R T O N V S** ^p, narrat, post Eugenii mortem Alphonsum regem eum Neapolin accersiuisset, et lauto admodum stipendio honestauisse. In ea tamen, quam regis gratia ipsi parauerat, felicitate, infelici fato vsum esse, sunt qui narrant,

f) T. XVI, p. 414 seqq.

g) In Histor. philol. Germanice scripta T. V. p. 1473.

h) Vid. **I S C A S A V B O N V S** Exerc. Antibar. I. c. 4.

i) De poëtis sui temporis L. II. p. 63.

k) De Hist. Lat. L. III. c. 5 p. 599.

l) Praeter **I A C O B V M G O R D O N I V M** in opere

Chronolog. apud Iovivm loc. cit. et Io. Noviomagvm loc. cit.

m) Ad Caeum p. 97.

n) Idem factum, in libro de natura et arte aduersus Trapezuntium et Plethonem pro Theodo-
ro Gaza, vid. FABR. Bibl. Graec. Vol. X. p. 722.

o) Vid. Vossius I. c. p) loc. cit.

rent^q, tradentes: ingenii monumenta multo elucubrata labore pontifici maximo eum obtulisse, ratum, lautum aliquod praemium se relaturum esse, accepta vero centum tantum ducatorum mercede, spei frustratae dolore accensum et avaritiae pontificis indignatione commotum, pecuniam in Tiberim abiecisse, addita exclamatio: Periere labores, pereat et ingrata merces! ita vero aegritudine consumtum fuisse, ut in gruissimum morbum incideret; ex quo cum reualefcere coepisset, pueriliter tamen delirasse. Fatemur autem, valde nobis suspectam esse hanc narratiunculam, eo quod Iouius, qui diligenter huiusmodi circumstantias enarrare solet, eam taceat, quamuis eum in senectute repuerascere coepisse tradat; et verisimile est, quod Gazae obtigit, ad Trapezuntium ob similem fortunam fuisse relatum^r. Illud verum, morbo correptum in exacta senectute amissa memoria miseram traxisse vitam. Narrat enim RAPH. VOLATERRANVS^s, qui eundem ante amissam memoriam iam senem docentem puer audierat, in vrbe solum, detrito pallio, pileatum et nodoso scipione iamiam ruituri corporis membra sustinéntem aberrauisse. Obiit, quod Genebrardus et Gualterus Iovio et ALLATIO^t laudati volunt, anno MCCCC LXXXVI, FABRICIVS^u autem diem obiisse obseruat extrema senectute post ademtam prius omnium rerum propriique nominis memoriam Romae anno MCCCC LXXXIV, ante XII Aug. Cuius hanc rationem affert: Eo die Sextum IV rebus humanis exemptum esse, cui Andreas, filius Georgii Trapezuntii, dicans Almagestum Ptolemaei a patre versum, negauerit patrem morte praeuentum facere hoc ipsum per se potuisse. Virum fuisse doctissimum veterisque literaturae Graecae peritissimum inter eruditos conuenit, quorum iudicia de Georgio colligerunt THOMAS POPE-BLOVNT^v, et ALLATIVS qui videndi. Et POLITIANVS^w quidem vehementer eum laudat, et Gazae quoque praeferit, aliorum vero iudicio illi multo inferior est. Valde etiam eum contemnunt aduersarii, inter quos Nicolaus Perottus indignis modis et contumis insolitis eius famam proscidit, cuius verba apud ALLATIVM^x legi, quam heic cum taedio lectoris exscribere malum. Illud autem negari non potest, in versionibus veterum auctorum Graecorum, etiam philosophorum (nam Platonis libros *de Legibus* Nicolai Viussu et Aristotelem *de animalibus* ex Graeco conuertit) nec eruditonem, nec diligentiam et attentionem, nec fidem satis demonstrauisse, et quod imprimis in Eusebio vertendo ausus est, multa ex ingenio adiecissem, mutauisse, omisisse, et boni interpretis officium saepe migrauisse^y. Quae causa est, cur miretur

I 2

tur

^z) Il. cc. hos plerique sequuntur.^u) Bibl. Lat. Med. T. III. p. 106. conf. Giorn. dei lett. d' Italia T. XVI. p. 422.^x) Cenf. Cel. Augt. p. 460.^y) Miscell. c. 90.^z) Vid. Vossius Inst. Orat. L. I. c. 5.^a) Loc. cit. p. 734.^b) Conf. præter adductos FABRICIVS Bibl. Graec. Vol. VI. p. 36.^q) Vid. citati.

^r) Addi his potest, filium eius Andream cum papae Sexto IV Almagestum Ptolemaei a parente editum obtulisse, scripsisse idem patrem voluisse facere. At si ita ingrata fuisset pontificis avaritia, et eam tantopere Georgius doluisset, non iterato consilio ultimum opus suum illi inscribere constituisse.

^s) Anthropolog. L. XXI.

tur **HVENTIVS**^c, Georgium Trapezuntium Bessarionis familiarem, et aseclam, tam illustri exemplo minime adductum intemperantissime luxuriasse; cum praesertim in physicis vel theologicis interpretandis fere versatus sit, quales res dicere ornate velle puerile est, plane autem et perspicue docti et intelligentis viri. Longe vero detestabilior fuit inviro per omnem vitam aetatem in literis et philosophia versato, animus maledicus, mordax et dicacitate molestus, qua et amicis et sibi ipsi nocuit, famamque eruditionis suae vehementer confpurcauit. Quam animi eius malitiam linguaeque atque calami incontinentiam potissimum expertus est Theodorus Gaza. Cum enim vterque Aristotelis libros, quibus historiam animalium complexus est, ex Graecis Latinos fecisset, quod magni laboris opus erat, ob nomina plurima, quae Latino ore dici recusant, vterque gloriam superati difficillimi laboris sibi vindicauit. Scripserat autem Gaza in praefatione: *Adiutum se a nullo, nec certare adeo cum ceteris interpretibus, quos*, inquit, *vincere nullum negotium est.* Quae verba adeo mentem Trapezuntii vulnerarunt, ut et in ipsum Theodorum rabie quadam immensi furoris, quae verba sunt **NIO. PEROTTI**^d, inuaderet, et veluti draconis epoto calice infanire, ac palam furere instar rabidi canis coepерit. Neque Gazam aggredi contentus, cum Besiaro quoque Theodorum Georgio praetulisset^e, hunc quoque, tot in eum beneficiis illustrem in *Comparatione Aristotelis et Platonis*, tacite proscindere conuicii non dubitauit. Quae eitus maledicentia illam in caput eius tempestatem concitauit, qua fortunam eius Romae euersam fuisse supra diximus. His animi vitiis accessit immoderatus Aristotelis amor, quo excitatus Stagiritam se extollere satis non posse credebat, nisi Platonem omni maledicentiae genere traduxisset. Quod cum ferri in tanta hominis impudentia et temeritate non posse iudicaret Bessario, caninam eius dicacitatem execratus librum *contra calumniatorem Platonis* scripsit, et quam inepte atque pueriliter eum in vertendis Platonis libris *de Legibus*, tum in eo vituperando fuerit versatus, ostendit, ut supra prolixo dictum. Mirum itaque non est, Trapezuntium suo sibi iumento et infelicitatem et inuidiam accersiuisse, et famam suam turpiter commaculauisse. Quam reparare, scripta *contra Theodorum Gazam Apologia* conatus est filius Andreas. Qui parentis versionem Almagesti Ptolemaei Sexto IV dicauit, parenti inuidiae morbo non melior, si verum est, quod **Vossius**^f narrat: „Exosum fuisse Trapezuntio Ioannem de Regio Monte^g, quia is liberorum Ptolemaei περὶ μεγάλης παγγυματίας translationem ac commen-

,tariorum

^c De claris interpretibus p. 292.^d Apud **ALLATIVM** l.c.^e Vid. liber Bessarionis not. (n.) adductus, c. 3.^f Loc. cit.^g Celeberrimi mathematici vitam strictum recenset **Ricciolus** in Almagello, et ex eo **EBRICIVS** Bibl. Lat. Med. T. IV. p. 354. et integro *Commentario PETRVS GASSENDVS* in vita Re-

giomontani, add. Cl. Io. **GAER. DOPPELMAYER** de mathemat. et artificibus Norimbergensis bus p. 1 seqq. Romam anno 1575 a Sexto IV. P. M. euocatus ad Kalendarii correctionem, rebus infectis pestilentie febri correptus, vel, ut multi suspiciati, veneno a Trapezuntii filiis extinctus est aet. 41. Vir vere magnus, et mathefeos, arque imprimis astronomiae recentiore actate restaurator.

„tarioris a Trapezuntio factos reprehendisset iis libris, quibus Theonem „Alexandrinum defendit. Hoc tam aegre latum, ut cum Regiomontanus „Romam se contulisset, propterea a Trapezunti filiis veneno extinctus „tradatur a nonnullis“. Scripsit Trapezuntius quoque Dialecticam, cuius editiones recensent ALLATIVS et WHARTONVS^b. Alium Georgium Trapezuntium, qui nuper, teste DEMETRIO PROCOPIO, Scholae principalis Bucarestinae in Wallachia magister fuit, imbutus externa philosophia et sacra theologia, Graecamque linguam callens, acroamatica Aristotelis scripta multo studio et labore discipulis suis interpretatus est^c, ab hoc seniore tempus facile distinguit.

§. IV. Inter Graecos porro pro Aristotelis philosophia acriter decertauit GEORGIVS SCHOLARIVS, vel quo nomine quoque innotuit,
*Georgius
Scholarius.*
 Gennadius, vir suo tempore non modo CP. illustris, sed in historia quoque ecclesiastica non negligendus, cuius historiam recentiori aetate viri docti passim excusserunt^d. Nos ex ea illa tantum attingimus, quae ad institutum nostrum pertinent, et Scholarium nobis virum doctum et philosophum fuisse. Patria videtur Constantinopolitanus fuisse, quo loco eruditio semina hausit, inque philosophia, theologia iurisque peritia eos proiectus habuit, ut magnam ab incunabula famam inde consequeretur. Discipulum fuisse Matthaei Camariotae tradit MAXIMVS MARGVNIVS^e; is enim ita: *Opinor autem hoc scriptum (epitome rhetoricae Hermogenianae) esse Matthaei Camariotae, viri tum pierate, tum eruditione non ignobilis, qui quidem floruit, ante expugnationem urbis CP. per Turcas, et praeter alios etiam Gennadium Scholarium, cui post captam Constantinopolin patriarchalis gubernatio credita est, discipulum*

I 3

ba-

h) II. cc. Vt̄m̄ nos editione Col. 1533. 8.
 i) De eruditis bōdiernae Graeciae §. 96. apud FABRICI Bibl. Graec. Vol. XI. p. 803.
 k) Georgii Scholarii notitiam literariorum tribus nobis, locis suppeditavit LEO ALLATIVS, de perpetuo consensu L. III. c. 5. 6. de claris Georgiis p. 760. et in libro contra Creyghronum. Cum autem mire inter se nonnulla misceuissent, tresque Gennadios confinxissent, paulo plenius curatiusque huius patriarchae historiam literariorum examinare scriptores historiae concilii Florentini, et imprimis FRID. SPANHEMIVS in diff. de perpetua in hunc diem dissensione ecclesiae Graecae et Orientalis a Romana ac Papali. P. I. f. 9. 10. T. II. Opp. p. 491. quem sequitur LAMETTICIVS Bibl. Vindob. L. VII. p. 111. Maxime vero de ea re disceptarum est inter THOMAM SMITH et RICHARDVM SIMONIVM. Cum enim ille redux CPoli in epistola de Graecae ecclesiae hodierno statu hunc reprehendisset, quod transubstantiationis dogma Graecis tribuisset, quod demum a Gabriele Metropolita Philadelphiae introductum sit, Simonius ei opposuit GENNADII homiliam de sacramento Eucharistiae. Eam

SMITHVS in Miscellaneis p. 4. velut spuriam rejecit. SIMONIO pristinam sententiam in diff. de fide eccl. Orientalis de transubstantiatione Parisis 1687. Gallice edita tenuit, cui respondit anglus in libro aduersus cavillationes Simonii. Tandem EVSEBIUS RENAVDOTIVS Parisis 1709. 4. edidit Gennadii Patriarchae CPoltani Homiliam de sacramento Eucharistiae. Maletii Syrigi et aliorum de eodem argumento opuscula, Gr. et Lat. seu Appendicem ad acta, quae circa Graecorum de transubstantiatione sistem relata sunt in opere de perpetuitate fidei. Huic praefationem et diff. praemissit de vita et operibus Gennadii p. 37. quam cum observationibus suis reduci fecit FABRICI Bibl. Graec. Vol. X. p. 343 sqq. in qua unum fuisse Gennadum luculentem probat. Ex his scriptoribus suam de doctrina et scriptis Georgii Scholarii dissertationem more suo compilavit CAS. OVDINVS de script. eccl. T. III. p. 2470. Conf. Cel. PFAFFIVS Primit. Tub. P. I. p. 210. not.

l) In epistola praefixa MATTH. CAMARIOTAE Epitome Rhetoricae Hermogenianae.

habuit, paulo autem post eandem expugnationem obiit ^{m)}. Obstare tamen videntur temporum rationes; Scholarius enim in synodo Florentina et ante eam magna auctoritate et muneribus quoque conspicuus fuit, Camariota circa tempora expugnationis CPolitanae illuc venit, et ultimis Palaeologorum temporibus rhetorica et philosophiam ibi docuit. Pluribus vero Scholarius ante synodum Florentinam annis in didascalorum collegium Constantinopoli admisus, apud Ioannem imperatorem gratiosus fuit, et secretioribus consistorii imperialis consiliis, iis maxime, quae de vniione cum Latinis ineunda agitabantur, adhibitus est. Anno MCCCCXXXVI iudex in iudicio imperatoris CP. fuit, adeoque laicus: Biennio post cum eodem imperatore cum aliis in Italiam abiens, in concilio Florentino, quod vniōne vtriusque ecclesiae vrgebat, Graecorum magna pars fuit. Vtrum vero vel pro vniōne fuerit, quod Latini volunt, vel contra eam steterit, quod Graeci contendunt, huius loci non est, disquirere, et ad auctoritatem *orationum apologeticarum pro synodo Florentina*, quae ei tribuuntur, redit, quas genuinas esse ALLATIVS ⁿ⁾ contendit, vt spuriā reiecit FRID. SPANHEMIVS ^{o)}, conciliatorem agente Evs. RENAVDOTIO ^{p)}. Illud certum, displicuisse post concilium Scholario vniōnis consilium illudque totum abiecisse, et contrariam partem omnibus viribus defendisse. Valde ea re offendit Constantinum vniōnis negotio fauentissimum. Cuius iram metuens in monasterium pantocratoris, quod prope Constantinopolin est, Laicus licet, secessit, nomine Gennadii assumto. Qui enim duos nobis obtrudit Gennadios ALLATIVS, deceptusque scriptis supposititiis contendit, nostrum post patriarchalem dignitatem depositam vitam demum solitariam elegisse, audiendus non est, falsoque alium hunc, qui ante vrbis oppugnationem in monasterium secessit, Gennadium fuisse asserit, vt accurate obseruatum RENAVDOTIO ^{q)}. Capta Constantinopoli cum extrema quaelibet Graeci partim metuerent, partim patuerent, eodem anno MCCCCLIII Gennadius Graecis Henoticis infessissimus acceptissimus Sultani Muhammedis iussu, teste PHRANZA ^{r)} aliisque CP. rerum scriptoribus patriarcha, laicus licet, electus est, tanto Turcarum principis fauore, vt eum de rebus sacris differentem libenter audiret, isque spem haberet tyrannum ad sacra Christiana adducendi. Quae cum decollaret, et in tanto munere sustinendo ab iis destitueretur, quorum erat opitulatrices manus iungere, patriarchali se dignitati abdicauit, inque monasterium S. Ioannis Baptiste in monte Menoecei secessit, vbi circa annum MCCCC LXIV, vt coniecturis verisimilibus demonstrauit RENAVDOTIVS fatis concessit. Ita historia Scholarii, quae valde con-

m) Pertinerit Camariota inter eos, qui ultimis imperiis Graeci annis philosophiam CPoli docuerunt. vid. ALLATIVS et FABRIC. II. cc. OVDINVS l. c. p. 2472. 2519.

n) Loc. cit.

o) Loc. cit.

p) Loc. cit. hic enim interpolatas esse concedit. conf. ROB. CREYGHTON. ad SGVROFVL
Hist. Conc. Florent. praef.

q) Loc. cit.

r) In Chronico L. III. c. 19. p. m. 197. edit.
Iac. Pontani.

fusa et obscura est, in ordinem redacta, non opus est, quod Caryophylus primus fecit, quem fecutus est Allatius, duos Scholarios confingere, quorum unus Henoticis adhaesit, alter Schismaticis. Illum enim confungi hypotheseos gratia recte laudatis viris demonstratum est: qui luculenter probauerunt, scripta Scholarii pro vniione, ad quae prouocat pars altera, suppositionis esse suspectissima. Verum haec omnia ad ecclesiasticam historiam spectant, ideo hoc loco tantum commemoranda, vt constet, cur tam infensum in Graecos, qui inter Latinos Platonem sequebantur, praecipue Plethonem, fouverit animum. Cum enim illi omnes Henoticorum partibus se addixissent, quas Vatiniano odio prosequebatur Scholarius, in eius indignationem Platonica simul philosophia incurrit. Quam tantopere expertus est Pletho, vt libros eius de *Legibus* Constantinopoli vtricibus flammis traderet, postquam eos scripto refutasset, cui tamen acriter Pletho respondit. De quibus eius libris in sequenti §. dicemus. Scripsit *Introductionem in Porphyrium de vniuersalibus, in praedicamenta Aristotelis, in librum de interpretatione;* et quorundam Scholasticorum libros Graeco sermone donauit. Quam operam Gilberti Porretani libro de *sex principiis*, fragmentisque ex dialectica magistri Petri Hispani, et Thomae Aquinatis de *differentia inter essentiam et esse* praestitit. De quibus eius reliquisque scriptis theologicis videndi ALLATIVS¹, LAMBECKIUS², OVDINVS³.

§. V. Inter hos, quos hucusque recensuimus philosophos, ex una parte Platonem, ex altera Aristotelem sequentes magna de praerogativa Platonis p[re]te Aristotele, deque vtriusque philosophiae pretio exorta est controuersia, quam passim tetigit LEO ALLATIVS⁴, prolixius vero narravit eruditissimus BOIVINIVS⁵, qui peculiarem de ista lite dissertationem⁶ nobis exhibuit. Cuius in enarranda hac contentione veltigia ita legemus, vt quod nostrum institutum adiiciendum postulauerit, addamus. Clasicum vero cecinit, bellique philosophici signum sustulit Georgius Gemistus Pletho, cuius literariam et philosophicam historiam, supra dedimus, memorauimusque, superstitiosa eum veneratione Platonem fuisse prosecutum, adeo, vt Plethonis nomen Gemisti appellationi adiectum fuisse ob eandem cauffam nonnullis visum sit. Intolerabile illi fuit, imperium Aristotelis, quod per tot secula barbarie beneficio obtinuerat, resurgente elegantiori literatura non modo minime imminui, sed certante quoque inter se virorum doctissimorum diligentia, et honestioris disciplinae ornatu magis confirmari; ita vero Platonis auctoritatem deprimi, vt vel eadem dixisse, vel acutius vidisse Aristoteles crederetur. Huic itaque malo obuiam eundum, et renascenti philosophiae

*Controuersia
inter Plato-
nicos et Ari-
stotelicos.*

Plato-

s) Loc. cit p. 2487.

t) De Bibl. Vindob. L. VIII. p. 385.

u) Loc. cit. p. 782.

x) De claris Georgiis p. 747 seqq. Conf. DORN.
ad LONSIUM de Ser. H. Ph. L. III. c. 21. §. 10 seqq.

p. 110 seqq. LAVNOIVS de fortuna Aristotelis
c. X. p. 225 seqq.

y) Memor. literar. Academiae regiae inscript. et
elegantioris literaturae, T. II. p. 775 seqq. eam
Germanica veste exhibuit et observationibus au-
xit Cl. HEYMANNUS Act. phil. Vol. II. p. 537 sqq.

Platonicae suppetias ferendas esse ratus, librum edidit, *de Platonicae et Aristotelicae philosophiae differentia;* in quo syncretismum Platonico-Aristotelicum magno argumentorum numero iugulauit, et quam mire inter se philosophi isti differant, ostendere conatus est: Platonicae vero Philosophiae causam agi non posse credidit, nisi conuiciorum plaustra in Aristotelicae philosophiae fautores cultoresque cumularentur. Ea vero infania adeo, quicquid Peripatetice philosophabatur, immo omnes quoque, qui modestiam amabant, offendit, ut cunctorum reprehensionem merito incurreret. Thrasoni vero huic publice se opponebat Georgius Scholarius, cuius vitam supra quoque dedimus. Is Ephesinae ecclesiae metropolitae Marco Eugenio et animo et hypothesibus erat addictissimus, et cum infensissimum contra Romanam ecclesiam et Henoticos animum a moribundo haereditate quasi accepit, tum ad Aristotelis quoque amorem et reiiciendam Platonis philosophiam ab eo adductus est ^{a)}. Marcus enim ille, referente BESSARIONE, contendebat, *opiniones Aristotelis nostrae religionis verissimis optimisque sententiis consentaneas esse, ac proinde veriores: Platonis autem dissentire nostris, ideoque falsas esse et a veritate prorsus alienas.* Quam opinionem postea Scholarius, et Georgius Trapezuntius, tanto episcopo praeeunte secuti sunt. Eam initio certamine literario aduersus Plethonem defendere suscepit Scholarius, qui cum responcionem Plethoni opponeret, quam ἀρτιληψ appellauit ^{b)}, non minori vehementia in aduersarium inuectus est. Ad has Scholarii pro Aristotele obiectiones noua disputatione respondit Pletho, in qua teste, qui ipse libellum nondum editum habuit, ALLATIO^{c)}, non dissimilibus opprobriorum plaustris Scholario se opposuit, cuius ignorantiam non sine contumelia multis conatus est ostendere consiliique sui tenax assidue Platōnem extollere, Aristotēlem vero coelo ab alto deicere. Qua apologia Plethonis vehementer exulceratus est Scholarii animus, sic ut nihil nisi vindictam spiraret, eiusque occasionem callidus quoquis modo captaret. Quam spe omni citius suppeditauere Plethonis libri *de Legibus*, in quibus Platonicis hypothesibus, vel potius Alexandrinis deliriis Platonicorum reformatorum usus, nouam rempublicam, Platōnem imitatus, instruxerat. Eius libri exemplum hodie integrum desideratur, et fragmenta tantum nonnulla asseruantur msc. in forulis bibliothecarum publicarum, argumentum tamen, quod indiculo librorum praefigitur, vulgavit ALLATIUS ^{d)}, quod heic quoque apponemus, cum Plethonis philosophiam, ipsamque quae ipsi tanta inuidia excitata est, tragediae causam mire illustret. Ita vero se habet: *Liber continet theologiam dogmatibus Zoroastris et Platoni conformem, cum in ea recenseantur Dii, qui per philosophiam innovescunt, patriis Graecorum eorum nominibus, singulis ex iis, quae non adeo*

^{a)} Vid. RENAVDOT. Vit. Gennad. §. 28. p. 3463.
vbi ultima Marci verba, quibus se coram Deo,
angelis et hominibus obstrinxit Gennadius, ha-
bentur.

^{b)} Vid. ALLATIUS de Georgiis p. 781.
^{c)} Loc. cit. p. 747-781.
^{d)} Loc. cit. p. 749. et in libro de mensura tem-
porum p. 135. qui etiam Graeca verba affert,

adeo ob poëtarum discordes sententias seu tergiuersationes conformantur, ad quam conformissimum philosophiae genus redactis. *Moralia* secundum hos eosdem sapientes nec non Stoicos. *Rempublicam vero Laconicam*, dempta tamen ex ea nimium severa ac aspera educatione, nec a multis probata, adiecta quae apud principes in pretio est, *philosophia*, potissima nempe inter alias quae Platonicis reipublicae administrationibus constat, bene contas sacrorum ceremonias non nimis curiosas, neque in necessariis deficientes. *Naturalia pleraque ex sententia Aristotelis*. Delibat etiam quodammodo liber et principia, quae a ratione non absunt, antiquitates Graecorum, et in quibusdam diaetam salutarem. Facile subolebit Lectori, Alexandrinae philosophiae non ignaro, huius magis mysteriis, quam Christianae disciplinae rempublicam suam Plethonem attemperauisse. Hoc librorum nondum vulgatorum argumentum, et, ut verisimile, ipsi Plethonis libri Scholario innotuerant, eumque vehementer eam ob rem armauerant, clamantem hostem esse Plethonem Christianae religionis, eamque pulsam velle, illiusque loco gentilem conari introducere. Ita vero factum, ut ab eorum publicatione deterreretur Pletho: obseruatum enim Boiuinio ex Gennadii epistola ad Ioannem exarchum^a, libros hos ab ipso Plethonem adhuc superstite vulgatos non esse, sed pressos potius et clam habitos, donec post ipsius obitum a Demetrio Palaeologo despota proderentur. Quod si GEORGIO TRAPEZVNTO^b fides est, cuius verba refert ALLATIVS^c, liber hic post exitum eius, ne publice legeretur, et multis officeret, a Peloponnesi principe Demetrio, sicut fertur, eruptus celatusque est. Vnde Idem quoque GEORGIVS^d, postquam Muhammede non meliorem Christianae discipline hostem Plethonem fuisse dixerat, eumque atris ob eam rem coloribus depinxerat, quaerendum ignique tradendum esse iudicat^e, idque hucusque factum haud esse vehementer dolet^f. Quod vero Plethonis

vii

d) Vid. LAMBECKUS de Bibl. Vindobon. L. VII. p. 162. OVIDINVS de S. E. T. III. p. 2497. BOIVIN. I. c. p. 20.

e) De comp. Plat. et Arist. L. III. c. penult.

f) Loc. cit. p. 750.

g) Loc. cit.

h) Faretur tamen, scrupulum posse moueri, utrum mortuo demum Plethonem libri hi flammis tradiri fuerint, an eo adhuc superstite. Extat enim inter Codices msc. Bibliothecae Vindobonensis anonymi Consolatio ad G.G. Plethonem trium librorum de legibus combustione per Georgium scholarium sive Gennadium, patriarcham CPolitanum, vid. REIMMANN. Biblioth. acr. p. 553. Si vero tum, cum comburerentur, Pletho superstes non fuit, qui potuit scripta consolatio confirmari. Nec obstant rationes Chronologicae Plethonis, qui μαρτυρεῖον fero obiit. Notum tamen testimonii scriptorum coaequo-

rum, Georgii Trapezuntii, ipsiusque Gennadii fidem denegare, et fortasse scriptorifice fictione tantum vpus est, ad vindicandam post fata Plethonis ipsiusque Platonicae philosophiae famam.

i) Verba eius atra bile plena exhibet ALLATIVS de Georgiis p. 750. qui etiam centuram Manuels magnae ecclesiae rhetoris non minus duram afferit, apud ipsum legendam. Scriptus ob eam rem pro Plethonem Apologiam ALLATIVS l. c. p. 753 causatus, „Plethonem eruerdis e latebris philophorum et potissimum „Platonicorum sententiis, iisque scripto tradendis, plus quam par erat materiae addictum animum aduertisse, et studio pertinaci contra sentientium opiniones dente etiam maledico „vellicasse, non ut eorum prava dogmata de novo, quae docte ipse refellit, in hominum „aniinos per se infixa prorogaret, sed ut ex tam vasto ac lacrymabili naufragio tabulas discillas

,,ac

viui et superstitis prudentia euitare nouerat, illud fatis eo concedente factum, librique illi in manus Scholarii, vel quo nomine tunc appellabatur Gennadii, ad patriarchalem sedem CPolitanam electi delati sunt; qui veteris inimicitiae memor flammis vtricibus publice Plethonis paginas delevit, de qua vindicta epistola Gennadii ad Ioannem exarcham videnda, quae passim in Bibliothecis publicis inter codices insc. occurrit. Nec meliorem fortunam Pletho expertus est, cum manus conferendi cum Theodoro Gaza et Georgio Trapezuntio occasio illi esset enata. Quam ei subministravit, referente BESSARIONE^k, hypothesis ARISTOTELIS^l, naturam quidem statuisse omnia alicius rei gratia facere, veruntamen nihil consulto agere, quemadmodum ars quoque, licet sine consilio, agat, omnia tamen alicius rei gratia faciat. Hoc dogma cum tota physiologia Platonis haud ferat, refutandum sibi Pletho sumvit, contrariumque sententiam fecutus non artem modo, sed et naturam consulto agere statuit. Facile de ea controversia amice disputari, vel verborum quoque pugna ostendi, et qua ratione consensus aliquis detegi possit, demonstrari potuisse, nisi Pletho Aristotelicorum in se odium concitauisset. BESSARIO enim, Theodoro Thessalonicensi, Platonicis obiicienti: *Naturam et artem facere quidem, sed non agere; solere vero, non quid faciamus, consultari, ideo consilium non artis esse, sed prudentiae*, amice quidem at accurate respondit, et Platonicorum quoque opinionem de natura et arte ita peculiari libro exposuit, ut in verbis magis, quam re ipsa pugnam esse ostenderet, licet fateatur, Plethonis partes potiores esse. Haec doctissimus cardinalis ad Theodorum Gazam quoque prescriperat, qui Aristotelis partibus se contra Plethonem addixerat; eumque, cum facile animum contineret, ab iniuria in Plethonem nullo negotio retinuit. Aliter autem euenit, cum Georgius Trapezuntius huic se controversiae immiscuisset. Hic cum Gaza inuidaret, ob caussam supra enarratam, et Bessarioni quoque indignaretur, quod Theodorum sibi praetulisset, vtrumque callide feriri hac occasione posse existimans, simulauit, Bessarionis responsionem a Gaza profectam, magna acerbitate in vtrumque inuectus est, et canina rabie contra eos disputauit. Qua de re cum supra iam dixerimus, nolumus ibi dicta hoc loco repetere. Patet autem ex iis, indecenter et non sine humanitatis obliuione Trapezuntium contra Platonicos, ipsumque Bessarionem cardinalem se gessisse. Nec sic velitationum finis; sed processit ex Platonicorum agmine nouus πρόμαχος, Michael Apo-

„ac vagas in unum veluti portum sanas atque
,,incolumes recolleret, indeque maiestas Chri-
,,stianae religionis, ac veritas dilucidior appa-
,,reret etc. Facile id nobis persuaderi pati-
,,mur, Plethonem in ipso religionis negotio non
,,tam aniliter impieque delirasse, ac eius volunt
,,aduersarii. Valde vero timemus, ut ab impru-
,,dentiis et levitatis culpa absoluvi possit, eo quod

totum cacoethes Alexandrinae pseudo-philoso-
phiae, laudando defendendoque collegisse vide-
tur. Verum de his definire nil licet, cum ipse
liber non prodierit.

^{k)} De natura et arte libro adiecto tractationi
in column. Plat. c. 1.

^{l)} Physic. L. II. c. 8. T. L. p. 269.

Apostolius ^{m)}, Constantinopolitanus, qui tum apud Latinos iuuenis exulabat. Is Plethonis vel potius Bessarionis cardinalis partes defendendas suscipiens, Aristotelis cultores magna quidem vehementia, sed impari successu, et apparatu quoque eruditio, doctrinae aduersariorum, quos oppugnabat, inferiori aggressus est. Respondit ei Andronicus Callisti Theffalonicensis, qui et ipse Romae exul tum degebat, et Bessarionis patrocinio fruebatur. Is enim cum et Graecae linguae et doctrinae antiquae notitia polleret, et imprimis in Aristotelica philosophia nulli concederet, Apostolium, licet moderate magis et decenter, depexum dedit. Is autem ne patronum offenderebat, in cuius domo exoptatissimum cum reliquis Graecis asylum inuenierat ⁿ⁾, cum ipsum Apostolii libellum tum responsionem suam ^{o)} cardinali submisit, et ad eius sententiam prudenter prouocauit. Placuit Bessarioni, viro graui, modesto, et vere philosopho Andronici modestia, quamvis is pro Aristotele pugnauisset, Apostolius Platonem defenderet, cui amplissime Bessario fauebat. Is enim acerbitate, Apostolii offensus, epistola ea de re ad illum data ^{p)} temerarios Michaëlis insultus repressit, compulitque ad palinodiam, egregie monens, quod omnibus controuersiis praefigendum, & λοιδορίας τε αντίοις, αλλ' ἀπόδεξσι καὶ λογικῆς ἀνάγνωσις τῷ φιλόσοφον οὐτογένετον, τόντ' ἐχθρὸν ἀμυντέον, non conuictiis in aduersarium, sed demonstrationibus, et necessariis rationibus amico suppetiae ferendae sunt, et vindicta de inimico sumenda. Quo quidem loco in Boiuinio attentionem desiderat eruditissimus HEV-MANNVS ^{q)}, ratus, facile palpari posse, ex composito atque similate tantum ita Bessarionem egisse: fatemur tamen, verisimile esse nobis, quod candide ea in re Bessario egerit. Quamvis enim Platonis partes ipse tueretur, quas magna vehementia Apostolius defenderat, Andronicus autem Aristotelem Platoni praeferreret, quod improbabat Bessario, displicuit

K 2 tamen

^{m)} Michaël Apostolius CPolitanus, vel paulo ante captam patriam, vel mox post illud tempus in Italiam venit, et a Bessarione benebole exceptus est. Offenso vero cardinale, ob scriptorum vehementiam in Cretam insulam abiit, ibique describendis libris et erudiendis adolescentibus vitam aegre sustentauit. Reconciliatum tamen cum Bessarione fuisse inde colligi potest, quia in eius obitum panegyricam orationem habuit, vid. LABBEVS Bibl. nou. msc. p. 71. OVDINVS de S. E. T. III. p. 2515. R. GERIVS ad Caeum p. 100. LAMBECKS I. c. p. 113. qui et Bibliothecas indicant, in quibus scriptum Apostolii contra Gazam afferuatur. Illud in Msc. Codice Vindobonensi hoc titulo gaudet: MICHAELIS BIZANTINI liber de Aristotelica substantia, pro G. G. Plethono contra Theod. Gazam. Valde eius vitam culpat, hominemque contemnit ERASMVS, Chil. III. Cent. III. pr. 42. pr. m. 699. vbi „eum hominem vocat non perinde ingenio ele-gantem quam palato, quemadmodum accep-tus ab his, qui eum dometica consuetudine „nouerant“. Et infra-Prou. 66. p. 793. Criticam

eum artem a combibonibus accepisse iudicat. Conf. de eo ALLATIVS de consensu L.III.c. 3. MONT-FAVCON. Palaeogr. Graec. p. 82. LAMBECKS I. c. FABRICIVS Bibl. Graec. Vol. III. p. 285. X. p. 222 seqq.

ⁿ⁾ Docuit Andronicus Romae, quia vero satis tenui fruebatur stipendio, Florentiam abiit, ibique diu magno applausu literas tradidit. Neque tamen sic, quod volebat, affecutus, in Galliam migravit, ibique senex obiit. De eius scriptis philosophicis atque epistolis plura dabit FABRICIVS Bibl. Graec. Vol. II. p. 151. Conf. VOLETERRANVS Anthropol. L.XXI. p. 775. et ex recentioribus P. BAYLE Dicit. T. I. Art. Andronicus de Theffalonicus. p. 237.

^{o)} De ea vid. REIMMANN. I. c. p. 539.

^{p)} Vid. LABBEVS I. c. p. 198. ALLATIVS I. c. p. 747. BOIVIN. I. c. §. 9. qui etiam totam epistolam legendam dedit, dignam, quam contentiōnū litiūque amantes inter doctes accurate expendant.

^{q)} ACT. Phil. Vol. II. p. 559. not. u.

tamen viro grauissimo et modestiam sectanti aceritas Apostolii, qui illam in litibus doctorum virorum malignitatem et conuiciandi consuetudinem cane peius et angue oderat, vt ex libro *aduersus calumniatorem Platoni*s constat. Ferre quoque non poterat, Gazam, amicum sibi et familiarem, et longe doctissimum ita conuiciis proscindi: immo nec ita Aristotelem improbabat, vt eius defensione offenderetur^{r)}. Nulli itaque dubitamus, quin serio disputandi genus ab Apostolico adhibitum Bessarioni dispuicuerit, quamvis huic illum reconciliatum postea esse inde liceat concidere, quod in laudem Cardinalis orationem publice habuerit. Quaecunque autem vera animi intentio Cardinali fuerit, illud ex ista epistola certum est, vehementer grauissimum virum improbauisse, quod homo iuuenis venerandae antiquitatis viros summos et recentioris aetatis homines auctoritate haud exigua pollentes, et eruditione illustres contumeliose aggressus sit, cum eorum mentem, tandem inter se conciliandam affecatus fuerit. Quare modestiam, meditationem, lectionem veterum ei commendat, et viros de literis optime meritos, interque eos Theodorum colere iubet. Et haec quidem viuo adhuc Plethona gesta sunt, nec dubitandi causa est, hanc inuidiam et animum et fortunam eius vehementer afflixisse; vnde coniicimus, hanc potissimum caussam fuisse, cur valde senex relicta Italia in Peloponnesum abierit, vbi tandem obiit. Neque tamen cum eius morte controversia finita est. Vehementer enim in Plethonem accensus Georgius Trapezuntius, eum imprimis iugulandum, ipsamque Platonis caussam euertendam, scripta Comparatione Platonis et Aristotelis statuit. Nihil in ea scriptione omisit homo impotentis animi, quo Platonem eiusque sequaces, et imprimis Plethonem atro colore notare, rabiemque canino dente ostendere posset. Quemadmodum Gennadius, vt supra dictum, Plethona viuis erepto, igne in libros eius de legibus grassari statuerat. Vehementissime hic Aristotelicorum furor ira accedit Platonicos, qui cum Gennadium, apud Turcas gratiosum premere non possent, Trapezuntium indignatione tanta persecuti sunt, vt fortunam eius famamque omnem euerterent, vt supra narratum. Bessario autem, Cardinalis ipse tandem in arenam progressus, Trapezuntii cauillationes et calumnias apologia pro Platone scripta, cuius argumentum supra enarravimus, erudite atque accurate repressit. Quo pacto acerrima illa controversia, Platonismo in Italia valde emergente, et Aristotelicis Latinis caute manus ab illa retinentibus finita est. Et haec quidem pro renouando philosophiae castioris elegantiorisque studio seculo XV acta sunt. Iam prolixior scena aperienda, accurateque enarrandum est, quid in philosophia praestiterit seculum XVI et XVII cum sectariae, tum Eclatice philosophiae addictum.

LIBER

r) Addi bis potest, offendam, quam apud Bessarionem incurrit, eum compulisse, vt Roma re-

lita in insulam Cretam abiret. Quo secessu opus haud fuisset, si Bessario similate egisset.